Pleischl

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
SPLENITIDE,
QUAM
SUB RECTORATU
ILLUSTRIS, CELEBERRIMI, DOCTISSIMI, SPECTABILIS, MAGNIFICI VIRI
DOMINI
FRANCISCI MÜLLER,
AA. LL. PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS, MEDICI ORDINARII GYNAECEI NOBILIUM IN ARCE PRAGENSI, EXAMINATORIS CANDIDATORUM PRO SUPREMA MEDICI DOCTORATUS LAUREA, ASSESSORIS COMMISSIONIS POLITICAE IN CAUSA VACCINATIONIS, ALMAE ET ANTIQUISSIMAE CAESAREO-REGIAE CAROLO FERDINANDEAE UNIVERSITATIS PRAGENSIS
H. T.
RECTORIS MAGNIFICI.
DIRECTORE
PERILLUSTRI, MAGNIFICO, SPECTABILI, CELEBERRIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO
IGNATIO MATUSCHKA,
AA. LL. PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE, AD INCLYTUM REGNI BOHEMIAE GUBERNIUM CONSILIARIO, CAESAREO-REGIO ACTUALI PER TOTUM REGNUM PROTOMEDICO, PATHOLOGIAE SPECIALIS, MEDICINAE CLINICAE ET INSTITUTIONUM MEDICO-PRACTICARUM PRO CHIRURGIS CIVICIS ET RURALIBUS PROFESSORE PUBLICO AC ORDINARIO OPTIME MERITO, COMMISSIONIS POLITICAE IN CAUSA VACCINATIONIS ET CELEBERRIMAE FACULTATIS MEDICAE PRAESIDE, ATQUE STUDII MEDICI DIRECTORE.

SPECTABILI DECANO
ILLUSTRI, SPECTABILI, CELEBERRIMO AC
DOCTISSIMO
D O M I N O

JOANNE WENCESLAO
HAVRLIK,

AA. LL. PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE, NOSOCOMII GENERALIS, DOMUS MENTE CAPTORUM, LANGUENTIUM, PARTURIENTIUM, NEC NON INSTITUTI ORPHANORUM ET STIPENDIARIORUM CAESAREO-REGIO SUPREMO DIRECTORE.

CORAM
CAESAREO-REGIIS IN EADEM FACULTATE
DOMINIS PROFESSORIBUS
AC
TOTA FACULTATE CELEBERRIMA
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBMITTIT

ADOLPHUS MART.
PLEISCHL,

BOHEMUS HOSSENREITHENSIS,
ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTER,
COLLEGII CHEMICI ASSISTENS,
PRO SUPREMA DOCTORATUS MEDICI LAUREA
CANDIDATUS.

In theses adnexas disputabitur
hora 10. matutina,
die 22. mensis Julii, 1815.

P R A G A E,
T Y P I S V I D U A E S O M M E R.

Reverendissime ac Celsissime Princeps!

Archipraesul ac Domine Domine Gratiosissime!

Praestantis cujusdam pietatis jam antiquitus signum habebatur, dum e naufragio marisque periculis elapsi, munera tanquam grati animi specimina pro servata salute vovebant. Quam pervetustam consuetudinem sequuturus, tot tantisque laboribus exantlatis e pulvere scholastico variisque discriminibus emergens, et meam in Musas pietatem aliqua ratione manifestare desiderabam. Ubi autem votivas tabulas suspenderem, anceps certe diu non haerebam. Viget enim recente in memoria pompa festi diei, quem Bohemiae metropolis nuper gestiens gaudio celebravit. O diem in aeternum memorabilem, qua universus Triurbis Clerus Te, Reverendissime ac Celsissime Princeps! Archipraesulem, solium regalis sacerdotii conscendentem voce triumphante salutavit, plaudentibus hujus Regni Magnatibus, gestiente Uni-

versitate, quae, quinquennio fere elapso, Protectore suo orbata, T e, futurae gloriae suae columen agnoscit. Confluebant undequaque T i b i, R e v e r e n d i s s i m e ac C e l s i s s i m e P r i n c e p s! sibique gratulantium turmae: fundebant preces pro incolumitate T u a milleni, quorum inopiae ad hujus dignitatis apicem vix evectus, paterna beneficentia subvenisti. Appropinquabam et ego, licet corde palpitante, solio T u o, exiguam hanc opellam N o m i n i C e l s i s s i m o dedicaturus. Me, qui R e v e r e n d i s s i m a m C e l s i t u d i n e m T u a m M a e c e n a t e m efflagitabam, voti compotem fecisti. Quapropter, quidquid istud laboris aut studii sit, profundissima cum reverentia T i b i voveo atque consecro. — Ad artem salutarem spectant, quae offero. Hoc jam intuitu T u a protectione indigna non sunt. Divina enim ars, quae huma-

nis miseriis opitulatur, numinisque supremi donum haberi solet, templa fere unice pro incunabulis suis agnoscit. Ad ea enim, quorum sanitas afflicta erat, malorum levamen sperantes, deportabantur, fiduciam habentes, arae ministros afflictae quoque sanitatis gerere curam. Ex columnis templorum, ex votivis tabulis fundamenta sua salutaris ars deprompsit, seraeque posteritati commendavit. Vestigia sacerdotum, qui medicinam adamabant, et exercebant, in ipso sacro codice cernere est. Quid mirum igitur, si ego, salutaris artis alumnus, Te, Reverendissime ac Celsissime Princeps! fautorem imploro, subque Tuis auspiciis ad artem exercendam accedo, quem nuper sacra tiara ornatum, nostraeque universitatis summum Protectorem conspexi! — Specimen hoc tessera sit sponsionis, me omnem lapidem

moturum, ut, artem salutarem exercens, Fautoris mei nomine indignus non evadam. Tuum ergo erit, quidquid emolumenti ex indefessis conatibus meis genus humanum percepturum est; quapropter, qui juvenilem laborem non adspernatus es, favere perge

Reverendissime ac Celsissime
Princeps!

Archiepiscope ac Domine Domine
Gratiosissime!

clientum infimo
Adolpho Pleischl.

Lectori Salutem.

Cum sapientissima Augustissimi lege sancitum sit, ut omnes supremam doctoratus medici lauream adepturi, de re quadam medica ex toto, eoque vastissimo saluberrimae scientiae complexu sibi selecta, publice disserant: haud abs re fore putavi, de splenitide, seu de lienis inflammatione nonnulla pertractare.

Licet argumenti suscepti gravitatem omnino perspectam habeam, illius Horatiani non immemor:

Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri;

tamen eam, quam viro numeris omnibus absoluto, denegare fas esset, veniam, juvenilibus ac imbecillis conatibus meis datum iri haud despero; quum praesertim multis, quae operam meam sublevent, subsidiis destitutus, me iisdem comparandis pro circumstantiarum, in quibus versor, ratione, imparem sentiam.

Atque ita Horatianum illud:

— — — — — nonum prematur in annum

hicce locum non habet, cum legum auctoritate adactus, quidquam juris publici facere debeam.

Proinde si quid immaturum, aut minus tersum inveneris benevole ac doctissime lector, juvenilibus lucubrationibus ignoscas atque faveas rogo.

---

*Auctores citatos, quos ipse consulere potui, signo * notavi.*
Auctores signo ? notatos, ceu fontes primarios considero.

Ἀγαθοῖσι δὲ ἰητροῖσιν αἱ ὁμοιότητες πλάνας καὶ ἀπορίας· ἀλλὰ τἀναντία ἡ πρόφασις.

Bonis autem medicis similitudines pariunt errores ac difficultates: verum contraria facit causa et occasio.

Hippocr. de morb. popular. lib. 6. sectio. 8. p. 179.

Notandum est, super omnia, morbos licet nomine, signis et aliqua specie eventus iidem appareant; tamen in indole tecta, phaenomenis perito observatis, vario tempore incrementi, status, coctionis, criseos, effectu, evéntu, sanandi methodo requisita, saepe immensum differre.

Boerhaave.

DISSERTATIO
DE
SPLENIS INFLAMMATIONE.

§. 1.

Inflammationem lienis non adeo frequentem, ut ceterorum viscerum abdominalium, esse morbum, auctores fere omnes credunt; quum tamen lien, sat frequenter a statu sano aberrans, in cadaveribus detegatur. Sic Ploucquet in egregio opere: initia bibliothecae medicae, ingentem scriptorum numerum recenset, qui de lienis morbis, ut de liene suppurato, cartilagineo, duro, magno, infarcto, obstructo, scirrhoso, tumido scripserunt, quae mala recensita, si valeat per analogiam conclusio, plerumque merae sunt terminationes inflammationis lienis praegressae, non cognitae vel non rite tractatae. In scriptis Hippocratis jam pluribus locis de lienis affectionibus sermo est [1]). E directo et laterum intentio dolorosa et praecordiorum intentiones et splenis elevationes,

[1]) * Hippocrat. lib. I. de morbis popular. edit. Mercurialis p. 112.

e naribus eruptiones. Quae relinquuntur post judicationem recidivas facere solent. Primum itaque lienis elevationes, si non ad articulos finierint, sanguinis e naribus eruptio fit, aut praecordii dextri intentio, si non penetraverint urinae. Et paulo inferius: Et splen elevatus, et deorsum vergens factus est. Potu utebatur aceto mulsò dulci, aut favorum cremore cocto. Decima sanguis ex sinistra nare aquosus paucus venit: non autem valde infirmus erat ob hoc ipsum, et urina subsistentiam habens, (ὑπόςασιν ἔχων.) Idem [2]): Quicunque splenem habent magnum, qui quidem fuerint biliosi; hi mali coloris fiunt, malis ulceribus scatent, et ex ore grave olent, et tenues evadunt et splen durus est, et semper consimili magnitudine, et cibi non secedunt. [3]) Fit ejusmodi morbus propter caliditatem solis bile commota, quum splen in se ipsum bilem traxerit. Haec igitur aeger patitur: febris acuta in principio accedit, progrediente vero morbo remittit, excepto ipso splene, in quo semper calor haeret: et dolor alias atque alias incidit acutus et in laterum mollitudinem et in ventrem. Et cibos in principio quidem admittit, non autem valde secedunt: processu autem temporis et color pallidus fit, et dolor fortis irruit, et claviculae attenuantur et cibos non similiter admittit velut in principio, et a modico impletur. Paulo inferius: Quum enim repletus fuerit splen sanguine, erumpit in ventrem et dolores acuti in splenem incidunt

---

[2]) * in libro de internis affectionibus p. 41.

[3]) * lib. cit. p. 77.

et in mammam et in claviculam et in humerum et sub scapulam. Color autem corporis est plumbiformis, et quae simul cum stercore secedunt sanguinolenta sunt et aeruginosa, et venter subit et splen velut lapis est. Idem alio loco: Alius splenis morbus. Fit autumno maxime ab atra bile. Patitur itaque aeger haec: Quum morbus comprehenderit splenem vehementer dolet, et rigor et febris apprehendit, et inedia ipsum habet, ac cibos aversatur, et corpus cito concidit. Splen autem magnus quidem valde non fit, verum durus et ad viscera allabitur, et adhaerens sugit. Idem [4]): Chartadi febris ardens, vomitus bilis multus et infra alvi egestio, vigiliae et juxta splenem tumor rotundus: Tertia die mane surrexit, strepitu circa ventrem citra dolorem percepto. Ubi vero alvum exoneraret, sanguinis recentis plus quam congii mensura subiit: et ubi iterum atque iterum cohibuisset, grumi concreti: anxietas circa os ventriculi, et sudor per totum corpus et febricula frigescere videbatur: et primum prudens erat, progrediente vero die, et inquietudo major et anxietas et spiritus paulo densior, et confidentius ac benignius quam pro tempore homines compellabat ac excipiebat, et quaedam animi deliquia accedere videbantur. Si priorum casuum adductorum symptomata invicem colliguntur, jam quaedam splenitidis symptomata inveniuntur; in ultimo autem casu memorato, si me non omnia fallunt, jam symptomata pathognomonica splenitidis, ut infra demonstrare conabor, elucescunt.

---

4) * 11. VII. de morbis popularibus p. 188.

Galenus [5]) per transennam de lienis inflammatione mentionem injicit.

Oribasius [6]) aperte de lienis inflammatione loquitur: Revulsionis causa venam secato e directo partium ad quas sanguis fluit, ut affecto liene, vena, quae est prope annularem digitum sinistrae manus: vel interna cubiti secanda est. Idem [7]): Cum lien inflammatione laborat, scirrhum statim contrahit, sanguine, qui in venis est propter crassitudinem obstructo, opus ergo est medicamentis attenuantibus, nec manifesto calefacientibus, iisque parum adstringentium admiscere oportet, ut firmata particula propriam actionem servet. Iisdem plane verbis expressum est alio loco [8]).

Aetius [9]) sic habet: Quibuscunque sub sinistro ilio dolor, aut distensio, aut gravitas, aut tumor subjacet, et dum convertuntur, velut aliquid ex ileis locis convellatur, imaginatio contingit, his lien affectus est. Idem [10]): In splenis inflammatione venae incisio adhibeatur, si nihil id fieri vetat: venter etiam per elysterem assidue eluatur, et maxime si venae incidendae medela relinquatur. Paulo inferius. Cognoscis autem irruentis humoris magnitudinem ex magnitudine et velo-

---

5) * Galen. oper. edit. Basileae 1529 de method. med. lib. 13. p. 140 de loc. affect. lib. VI. cap. I. p. 275.

6) * Synops. lib. I. cap. X. p. 16. edit. Rasarii.

7) * Synopseos lib. IX. cap. 24. p. 311.

8) * de loc. affec. curat. Tom. III. lib. IV. cap. 100. p. 229.

9) * Tetrab. III. serm. II. cap. VII. p. 562.

10) * l. c. cap. X. p. 565.

citate generationis ipsius inflammationis. Doleo valde, quod desiderentur symptomata, ex quibus splenis inflammatio cognosci posset.

Alexander Trallianus [11]), qui lienis inflammationem fusius omnium et egregie tractavit, sic habet: Quodsi sanguinis copia in lienem confluxerit, et ex eo inflammatio indidem orta fuerit, dolorque cum tumore et tensione et multa gravitate vehementer urgeat, interim obstructio membri excitatur, unde scirrhum et inflammationem plerumque contrahit, et caet. Inferius paulo assumit triplicem inflammationis fontem, scilicet, inflammationem ex humore bilioso, ex humore melancholico et ex humore pituitoso.

Petrus Forestus [12]) de phlegmone lienis exemplum lienis inflammati narrat sequentibus verbis: Vir ille, qui aestu quodam, tum febre continua corripiebatur, simul gravitatem cum dolore et distensione hypochondrii sinistri sentiebat; ita, ut hic lien procul dubio afficeretur phlegmone, sanguine ad ipsum confluente calido et satis crasso. — In principio vinum inhibendo, postea in fine aquosum concedendo: in primis diebus solo ptisanae cremore aegrum nutriendo, et etiam panata. Statimque jussimus, ut sanguis ex vena jecoraria cubiti sinistri detraheretur. Et mox a venae sectione

---

11) * Alexandri Tralliani Medici libri duodecim edit. a Joanne Guinterio Andernaco. Basileae lib. 8. cap. 12. p. 481 et seq.?

12) * Petri Foresti opera omnia. Francofurti 1660. observat. lib. XX. obs. V. p. 277?

locum dolentem inunximus oleo rosaceo, et chamaemolino pauco addito aceto, et caet. Idem [13]). Rarissime ex sanguine optimo, ac mediocrem crassitudinem habente, ipsam inflammationem in liene oriri contingit: sed saepius ex sanguine crassiore excitatur, foeculento, limoso, ac crasso: unde et inflammationes facile duriores fiunt ob humorum crassitiem: hinc et dolor hypochondrii sinistri ac etiam fervor, distensio et tumor et multa gravitas vehementer urgens statim apparent; et tumor ob duritiem facile tangendo ex sententia Galeni deprehenditur, praesertim processu temporis, ut abhinc aliquot annis in viro quodam decumbente animadvertimus. Sed hic statim eo, quod erat ex humore crasso, et in alio quodam virô, ad quem acciti sumus, etiam levis durities apparuit. Auctor etiam venam secuit. Exinde apparet, Forestum ter lienis inflammationem observasse, ac sub hoc nomine descripsisse, sed infra videbimus, dicta de lienis dolore [14]) etiam ad lienis inflammationem spectare.

Fors etiam huc referendi essent casus, quos Morgagni [15]) adnotavit: Aegra delirio melancholico et febricula domi laborasse dicebatur, morti proxima in nosocomium illata est. In cavo cranii nihil abnorme erat inveniendum, sic et in thorace, sed in abdomine. Lien ea fuit longitudine, ut a sede sua incipiens ad ilium os perveniret; huic tantae magnitudini ceterae dimensio-

---

13) * l. c. obs. VI. p. 278.
14) * l. c. obs. VII. p. 281.
15) * De causis et sedib. morb. epist. XLVII. p. 531. nro. 36.

nes non congruebant. Laxus erat, nec lividus, sed magnam partem rubens, anteriore saltem facie. Vesica fellea distensa. Aquae fuit aliquid in ima pelvi. Vesica interius ad urethrae orificium et aliquo supra hoc spatio sanguiferis vasculis erat distincta. Uterus aliquanto sinistrorsum inclinatus, et ejus tamen osculi orificium, incisa vagina, quae tota propemodum livebat, et grave olebat, magis erat a dextris quam ea ferret inclinatio. Causa erat ejus corona, quae aequo durior a sinistris tumore augebatur. Morgagni hunc casum ad vitia partium genitalium mulierum referre videtur, quum illum inducit loco, quo de mulierum morbis agit, mihi vero videtur lienem fuisse causam principalem hujus morbi, et valde dolendum, symptomata adnotari non potuisse. Alius [16]) casus narratus non est negligendus, ubi quidem hepar sed et lien multo magis inflammatus, abscessus et ulcuscula omenti et limbo mesenterii observabantur.

Quae apud Hippocratem, Oribasium, Aetium, Alexand. Trallianum et Pet. Forestum [17]) de lienis inflatione leguntur, potius ad intestinum colon transversum et descendens spectant, cujus inflatio pro lienis inflatione eo citius imponere potuit, quo propius colon transversum lieni adjacet; alio enim modo inexplicabile foret, quod Hippocrates et post illum plures habent, lienem eadem die intumescere et detumescere; aliter difficile explicatu, quo modo solis sic dictis carminativis lienis tumores sat magni depulsi et curati fuerunt.

---

16) * l. c. epist. XXXIV. p. 170, nro. 21.

17) * locis citatis.

§. 2.

Sufficiant haec exempla, fusius adducta, quae lienis inflammationem testare videntur; de liene enim morbose affecto innumera exempla colligi possent, si scopus esset; frequenter enim in auctoribus occurrunt, quum de lienis inflammatione rarissime mentio fit. Sane mirum est, quod Sauvages [1]) de splenitide habet: Curatur eodem modo ac hepatitis; de quibus consulatur Riverius; verum ita rarus est hic affectus, ut praeter Forestum, qui bis hunc se observasse refert, nec describit, neminem noverim, qui ejus existentiam testetur. Ita quoque fere omnes recentiores auctores consentiunt et affirmant, splenis inflammationem esse morbum valde rarum et minime frequentem, et tractationem illius ab illa hepatitidis non differre. Juvabit quorumdam praecipuorum auctorum sententiam de lienis inflammatione adferre. Boerhaavius [2]) postquam de hepatis inflammatione a §. 914 usque ad §. 951 tractavit, §. 958. dicit: Lienis, pancreatis, omenti inflammati, suppurati, gangraenosi, scirrhosi, cancrosi origo, natura, effectus, cognitio, praevisio, curatio, palliatio ex iisdem dictis (914 ad 958) hauriri possunt. Praeclarus ejus commentator van Swieten [3]) ad hunc aphorismum habet sequentia: Interim tamen negari nequit, inflammationem quandoque lienem occupare, nam cadaverum sectiones docuerunt

1) * Nosologia methodica. Tom. I. p. 503.

2) * Swietenii Commentaria in Herrm. Boerhaave Aphor. tom. III. p. 152 et sequent.

3) * l. c. p. 153.

inflammationis effectus in liene observatos fuisse. Verum minus frequenter, quam alia viscera, lienem inflammari cum Tralliano [4]) putat. Pauco inferius historiam lienis inflammati ab Antonio de Haen sibi communicatam habet. Vix audeo de horum tam eruditorum ac sagacissimorum virorum effato dubitare, interim tamen aliter se res habere mihi videtur. Magnus Fried. Hoffmann nullibi lienis inflammationis a se observatae mentionem habet. Rudolph. August. Vogel [5]) cum Boerhaavio et Swietenio consentiens sic habet: Quae de inflammatione, suppuratione, scirrho cancroque ventriculi praecepta sunt, ea omnia quoque de iisdem morbis lienis, pancreatis ac omenti valere, sciendum est. Minus frequenter lien inflammatur, quam alia viscera. Cum van Swieten assumit, splenitidem facile pro pleuritide haberi posse. Selle [6]) nec mentionem splenitidis iujicit; in opere [7]) inter ceteras inflammationes topicas etiam inflammationem lienis adducit. Burserius de Kanilfeld [8]): Lienis quoque inflammatio vocatur suo nomine splenitis. Splenitis vera et primaria rarior est; secundaria vero, lienique obstructo superveniens non infrequens.

---

4) * l. c. p. 484.

5) * De cognoscendis et curandis praecipuis hum. corp. affect. praefat. Tissot. par. I. p. 163. §. 210.

6) * Medic. clinica.

7) * Pyretolog. method. p. 136.

8) * Institut. med. pract. vol. IV. part. II. p. 468.

William Cullen [9]) per transeunam splenitidem nominat. Joannes Petrus Frank [10]) splenitidem proprio sub titulo tractans sequenti modo inchoat: Incomprehensum physiologis viscus non minoribus, cum aegrotat, involvitur tenebris, lien. Hujus quidem positio, extensio, nexus ac singularis inter diaphragma, ventriculum, colon intestinum, costarum arcus, renemque altiorem, peritonaeo licet divisum, occultatio, — nec minus hypotheses, quas hac de particula sibi scholae permiserant, fecere, ut non modo varia partium mala, sed et mentis ipsius aberrationes varias, et morbos fere omnes, quos ab atra quondam bile derivavit antiquitas, in insontem mox splenem rejicerent. Variis interim et hoc spongiosum viscus affectibus exponitur, atque nunc periodico quasi fluxu et refluxu, aliorum fere morborum imperio turget et subsidet; nunc volumine, quod apud Insubros endemicum est, sine manifesto substantiae infarctu, insigniter augetur, ac saepe prolabitur; nunc duriorem ac callosam, aliquando fere saxeam aut osseam quasi compagem vel tumentem, vel in minus volumen contractam assumit; nunc vero, quod rarius contigisse tum aliis, tum nobis ipsis perspectum est, inflammatur. Samuel Gottlieb Vogel [11]) licet proprio capite lienis inflammationem et fusius quam omnes ejus antecessores tractat,

9) * Anfangsgründe der prakt. Arzneykunst. 3te Ausgabe. Leipzig 1800. I. Thl. p. 442.

10) * De curand. homin. morb. epitome. lib. II. p. 283.

11) * Handbuch der prakt. Arzneywiss. f. angeh. Aerzte. 4ter Thl. S. 387.

et licet, ut videtur [12]) ipse splenitidem nonnunquam observasset ac tractasset, tamen sic habet [13]): Eine ächte, idiopathische Splenitis ist selten. Reil [14]) inflammationem lienis nec nominat. Hufeland [15]): Die Kennzeichen sind die nämlichen, wie bei der Hepatitis, nur mit dem Unterschiede, daß die Beschwerden die Gegend des linken Hypochondrium einnehmen, und die gallichten Affektionen fehlen. Die Ursachen und der Ausgang sind dieselben, wie bei der Leberentzündung. Dieß gilt auch von der Behandlung. Eodem fere modo loquuntur Consbruch [16]) et Heker [17]). Sprengel [18]) splenis inflammationem habet, sed etiam ab hoc auctore brevius ceteris inflammationibus absolvitur. Henke [19]) praecedentes secutus tamen sic habet: — — Häufiges Erbrechen von zähen schleimigten Flüßigkeiten, von braunem, schwarzem Blute, tritt im Verlaufe ein, dabey Singultus, Konvulsionen, unter welchen der Tod erfolgt. Et alio loco: Daß die Milzentzündung öfter chronisch vorkommen müsse, beweisen die häufigen Desorganisationen, die man nach dem Tode gefunden hat. Sie wird oft verkannt, da die

---

12) * am angeführ. O. S. 391. §. 10.

13) * l. c. p. 387.

14) * Uiber die Erkenntniß u. Kur der Fieber.

15) * System der prakt. Heilkunde. II. B. X. Splenitis.

16) * Klinisch. Taschenbuch f. prakt. Aerzte Splenitis p. 300.

17) * Kunst d. Krankh. d. Mensch. zu heilen I. Th. p. 398.

18) * Kurt Sprengls Handbuch d. Pathol. II. Thl. §. 363.

19) * Handbuch der speziellen Pathologie. I. B. §. 648 et §. 649.

Symptome nicht immer Entzündung erkennen lassen. Conradi [20]) praecedentibus quoque consentit, licet concedat, splenitidem saepius sub haematemesis specie latere.

Recte ergo hic mutatis mutandis illud F. Hoffmanni [21]) valet de splenitide, quod ille de febre inflammatoria ex mesenterio egregie dixit: Jam apud medicos in confesso est, plures morbosas affectiones, praesertim hecticas, lentas, errantesque febres, nec non apostemata, in mesenterio sedem habere fixam; sed diarrhoeas, dysenterias, immo inflammatorias febres intestinorum pullulare ex mesenterio, id non aeque omnibus patet.

Ex hucusque dictis clare elucet, omnes auctores splenitidem pro morbo sat raro habere, et quum optime scio, quantulus sim, vix audeo alius esse opinionis quam tam multi, tam clari et sagacissimi ac doctissimi et de arte nostra optime meriti viri: tamen pro viribus meis, (quas perpaucas esse optime sentio,) demonstrare conabor, splenitidem multo esse frequentiorem, quam plerumque credunt auctores. Interim non temere et studio contradicendi ductus rem aggredior, quum de Cammerlander anno 1758 jam, et quum celeberrimus F. A. Marcus [22]) idem thema felicissimo cum effectu tractassen; neque ausus essem idem thema tractare, nisi sub auspiciis celeberrimi ac doctissimi Domini Professoris J. B.

---

20) * Grundriß der Pathologie u. Therapie. II. Thl. I. B. p. 383 et seq.

21) * System. med. ration. tom. IV. part. I. p. 287. §. II.

22) * Entwurf einer speciellen Therapie II. Thl., und Ephemeriden der Heilkunde III. B. I. et II. Heft. ??

Hoeger usque ad cineres mihi venerandi viri et in cursu clinico moderatoris mei felix occasio se obtulisset, lienis inflammationem in instituto clinico Pragensi observandi et tractandi.

§. 3.

Ratio, cur lienis inflammatio adeo rara auctoribus visa sit, duplex esse mihi videtur. Prima et praecipua est, functio lienis incognita physiologis; facile enim patet, ubi physiologia organi alicujus in tenebris jacet, pathologiam adhuc obscuriorem esse debere, ut celeberrimus Frank [1]) sincere fatetur: Incomprehensum physiologis viscus, non minoribus cum aegrotat involvitur tenebris, lien. Altera, non minoris momenti ratio ea esse videtur, quod auctores nonnulla symptomata splenitidis pathognomonica ceu morbos essentiales, protopathicos, considerarunt tractaruntque. Conducet ergo in scopum meum pauca de lienis functione ex physiologicis repetere; sequor recentiores celeberrimos Physiologos Autenrieth [2]), Reil [3]), Doellinger [4]), Walter [5])

---

1) * l. c.

2) Handbuch der empyr. menschl. Physiol. Tübingen 1804.

3) * In seinen phys. Schriften an mehr. Orten.

4) Doellinger Grundriß der Naturlehre des Mensch. Lemberg 1806.

5) * Physiologie des Menschen. Landshut 1807..8 Thle.

et Bartels [6]). Observationes celeb. Home [7]) circa structuram et functionem lienis non sunt vili pendendae, et omnem merentur attentionem. Anatomicam descriptionem scilicet structurae, magnitudinis, situs, figurae et caet. missam facio, quum apud auctores optima habetur, et quum D. F. Czykanek splenis Anatomiam et Physiologiam anno elapso pro argumento dissertationis sibi legisset.

Ex anatomica lienis structurae consideratione duplex ejus usus elucescit; refertur enim lien tum ad hepar, tum ad ventriculum.

Lien est viscus summe vasculosum, mollissimum, nullo gaudet ductu excretorio, in volumine suo multum mutabile, constanter in omnibus animalibus hepati per vasa arteriosa et venosa nexum est, et in omnibus animalibus, ubicunque adest, semper adjacet fundo ventriculi, cui per vasa sic dicta brevia, et per arteriam et venam gastro-epiploicam sinistram intime adhaeret. Notandum est, ad lienem, fere sexduplo minorem quam hepar, eandem fere sanguinis arteriosi quantitatem, ut ad hepar advehi, et sine sanitatis damno in eo accumulari posse.

---

6) * Physiologie der menschlichen Lebensthätigkeit. Freyburg 1809.

7) * Uibersetzt in Reils u. Autenrieths Archiv für die Physiologie 9. B. 3. Hft. Seite 525 aus W. Nicholsons Journal of Natural Philosophy etc. Vol. XX. supl. Nro. 90. Vol. XXI. Oct. I. Nro. 92.

Relate ad hepar lien evolvit hydrogenium, tanquam bilis principium, tum carboneum, tanquam alterum in vasis meseraicis et epiploicis evolvitur; ideo sanguis venae lienalis, quae unus rami duplicis, est notabilis, magis dissolutus et fluidior et aquosior est, quam sanguis reliquarum radicum venae portae, qui pinguiusculus et spissior est; exinde iterum aut melior aut pejor bilis qualitas dependet. Notum enim est, homines sanguine aquoso praeditos, malam habere bilem, male digerere; hinc etiam intelliguntur noxae potuum theatorum usum frequentiorem excipientes, et fors non immerito causa hydropis et chlorosis frequenter in mala lienis et sanguinis lienalis conditione quaeritur, et exinde fors actio ferri in chlorosi explicari posset. Celeberrimus Bartels [8]) hanc theoriam in dubium vocare videtur, rem tamen se ita habere exinde patet, quod liene exstirpato in vivis animalibus bilis magis fit carbonaceo principio viscida et spissior, parenchyma hepatis obstructum et induratum, et corpus pinguescit; praeterea, quod morbi hepatis et lienis sese comitantur aut invicem alternant. Relate ad ventriculum lien fere eadem, alia solummodo ratione, gaudet functione, qua hepar relate ad intestinum duodenum. Duplex ejus usus ratione ventriculi esse videtur, quum primo secretionem succi gastrici augeat et secundo oxydationem hujus succi perficiat. Primum fit per lienis habilitatem majorem sanguinis quantitatem recipiendi, et a ventriculo non di-

8) * A. a. O. S. 237. Anmerk.

gerente avertendi, sanguini quasi asylum praebendo, et repletum ventriculum digerentem necessaria sanguinis quantitate instruendi. Hoc patet, quia lien in animalibus eo gaudentibus, semper ventriculi fundo adjacet, et per vasa sua nectitur; patet, quia lien tempore digestionis sanguine est pauperior, finita vero digestione eo abundat; patet, quia liene exstirpato, saltem ab initio urinae secretio fit copiosior. Alterum, quod oxydationem succi gastrici perficiat, elucet ex consideratione hydrogeneo tanquam uno aquae principio separato, oxygeneum tanquam alterum aquae principium liberum reddi, et ventriculo hoc principio indigenti, communicari debere. Totum hunc processum explanans Walter [9]) ad columnam galvanicam recurrit, et quidem non inepte, ponendo polum positivum in ventriculum, quo se oxygenium manifestat, et transferendo polum negativum in splenem, quo hydrogeneum evolvitur; hinc elucet, quod oxygeneum in succo gastrico ut hydrogeneum in liene praevaleat; elucet, cur morbi lienis dyspepsiam inducant; elucet, cur morbose dilatatus lien aut morbose dilatata vasa illum cum ventriculo nectentia, acidum perfectum generant in ventriculo; elucet, cur ferrum ventriculo ingestum, lienis volumen imminuit; elucet denique voracitas animalium post lienis exstirpationem. Neglecto respectu hujus duplicis lienis relationis tum ad systema biliosum, tum ad ventricu-

---

[9]) l. c.

lum, neglectaque anatomica consideratione structurae, nexus, situs lienis, vix possibile videtur, ut splenitis cognoscatur. Hisce omnibus accedit magna visceris parenchymatosi insensibilitas, ob quam notabiles a statu sano alienationes in eo contingentes homines non adeo molestant; hinc facile attentionem effugiunt.

§. 4.

Ad alterum hujus dissertationis argumentum exponendum me nunc accingo, evicturus, nonnulla symptomata pathognomonica splenitidis ab auctoribus pro morbis sui generis fuisse habita, et splenitidem sub aliorum morborum specie decepisse. Splenitidem frequenter pro vomitu cruento fuisse habitam, verosimillimum est, et celeb. Marcus nullius fere splenitidis recordatur, in qua hoc symptoma defuisset, licet in casu nostro ut ex historia infra adducenda patebit, nullus vomitus cruentus, sed biliosus adfuisset. Sententia haec exinde corroboratur, quod auctorum definitiones de vomitu cruento titubent [1]); juvabit iterum nonnulla exempla adducere, quae apud auctores sub titulo vomitus cruenti obveniunt. Forestus [2]) sic habet: Sanguinem e

1) * Joan. Pet. Frank Epitom. lib. V. p. II. p. 192 et sequent.
Sam. G. Vogel omnem merentur attentionem, et legendi sunt animo attentissimo.

2) * lib. XV. obs. XXIV. p. 35.

jecinore vel liene quandoque per ventriculum vomitione rejici, testatur Galenus [3]. Idem [4]: Quibus vero ex liene sanguis funditur, raro in prima vomitione deficiunt, sed vel recurrente subinde saepius vomitione pereunt, veluti cuidam accidit, cum tertia vice vomitione sanguinis ex liene utcunque copiosa, laborasset, et hic quoque obiit. Doleo valde hoc loco nulla esse symptomata assignata, quibus sanguinis vomitio ex liene stipata fuit; interim inde patet, lienem saepius esse in causa vomitus cruenti. Idem [5]: Alius sanguinem ex liene in ventriculum delatum evomebat grumosum et magis nigrum, qualis a splene in ventrem fertur. Scribit Dodonaeus, se multos cognovisse, sanguinem ex liene vomitu rejicientes, qui pallentes fuere, et in quibus saepenumero sinistro hypochondrio tumidus splen manifeste (ut in illo, qui sanguinem copiose ex liene vomebat) sentiebatur, sed ante vomitionem: nam ex vomitione, splene jam exonerato, subsederat tumor, nec deprehendi poterat. Idem [6]: Ita melancholicus quidam, qui circa lienem subinde dolebat, per certa quaedam intervalla humorem melancholicum, saepe etiam atrum vomebat. Huic igitur consului, cum videretur laborare sanguine melancholico (licet quadragesimum

---

3) lib. 5. cap. 5.
4) * l. c. p. 36.
5) * l. c. p. 37.
6) * lib. XVIII. p. 158.

annum ageret, vir tamen niger et hirsutus, ac venas amplas habens) ut paulo ante vomitum post leniens medicamentum sumptum, altero die sanguinem in brachio sinistro ex vena lienari sibi detrahere juberet.

Van Swieten [7]) de hepatitide agens ex Hippocrate casus, quem prius jam adduxi, meminit, et pro hepatitide habet, sed plura lienis inflammationem latuisse clamant, ut: tumor rotundus juxta splenem, vomitus cruentus, anxietas circa os ventriculi, animi deliquia et delirium.

Sauvages [8]) habet haematemesim ex splene et aliorum auctorum exempla haematemeseos inducit. Ejus descriptio haec est: Praecedit et comitatur lienis moles durities, tumor; accedunt pulsationes circa dorsum in sinistro latere, succedit vomitio sanguinis, saepius salutaris. Si quis hanc descriptionem cum nostra splenitidis inferius danda conferat, facile splenitidem hic adesse cognoscet. Idem [9]) Haematemesim atram habet, et narrat morbi historiam hisce verbis: Puella Indica, temperamenti sicci, cum pulsu duro, sanguine spisso et atro, ter hoc morbo conflictata fuit, tussi convulsi-

---

7) * tom. III. p. 123.

8) * Nosologia method. tom. II. p. 299. Edit. Amstelodam. 1768.

Etmüller p. 106. Schenk obs. lib. 3. Zacut: Lusit. lib. 2. Med. princip. hist. 10; Glissonii obs. Dodon. p. 47. C. P.

9) * l. c. p. 300.

va copiosa, fluidi, tenacis, spissi, atrorubri, ultra tres quatuorve libras vomitione ; dolor erat fixus , pungitivus in hypochondrio sinistro, ut in splenitide; ridebat illa mediis in doloribus, et sese ad risum excitare videbatur (fors ob simul affectum diaphragma? — an non risus sardonius dicendus esset?) ; pulsus et urina non diversa a statu sano. Frustra plures phlebotomiae intra annum et semissem repetitae sunt; sanguis extractus niger erat; diluentibus, laxantibus et resolventibus brevi sanata fuit. Hac ex narratione concludo, ut infra patebit, veram splenitidem latuisse, quod etiam auctor divinasse videtur; sed pulsus parum mutati, et urina illum seduxerunt.

Sententiam supra stabilitam omnibus optime F. Hoffmann [10]) confirmat de vomitu cruento agens: Antecedit hunc sanguinis vomitum ut plurimum punctorius et tensivus hypochondrii sinistri dolor et ipsa eruptio nunquam fere non cum praecordiorum anxietate et dolore compressorio, nec non constrictione in hoc latere jungitur; atque etiam nullum sanguinis profluvium tam facile ac saepe lipothymiam habet comitem, quam hoc, praesertim, quando cruor graveolens, corruptus exit.

Sedes morbi et scaturigo unde sanguis venit, est in ventriculo, ita tamen, ut in consortium mali, ceu

---

10) * System. medic. ration. Tom. IV. par. II. p. 34. §. II. et III.

sedes causae morbi, veniat et ipse lien. Id enim aperte monstrant sectiones cadaverum, hoc morbo defunctorum. De liene quidem, quod is semper fere sanguine tumidus, infarctus et quandoque plane induratus deprehendatur. De ventriculo autem, qui copiosis ubique vasis distinctus est, quod brevia potissimum sic dicta arteriosa et venosa, quae in superna et sinistra tenuiori parte excurrunt, ibique admodum tenera membrana teguntur, si aperiuntur, vel disrumpuntur, sanguinem, qui vomitu ejicitur, fundant et fuderint, eaque propter varicosa et nigro sanguine distenta deprehenduntur, corrupta simul ibi ipsius ventriculi substantia. Sic Riolanus [11]) vas breve minimo digito latum deprehendit rejectione sanguinis per superiora et inferiora. Idem testatur Columbus [12]) de Cardinali cibo, nec non Wedelius [13]), Platerus [14]) et Bonetus [15]).

Idem [16]) sic habet: Virgo, decimum octavum aetatis annum agens, corpore procera, macilenta ac tenera, facie pallida, anno aetatis 14to post vehementissimam iracundiam, tantam cruoris copiam evomuit; ut mensuram fere compleret. Subsequuta tum febris assidua, qua discussa, mensium fluxus erupit et

---

[11]) Anthropolog. lib. 2. cap. 17.
[12]) Rerum anatomic. lib. 15.
[13]) Physiol. reformat.
[14]) Observ. lib. 2.
[15]) Bonet. Medicin. septentrion. lib. 3. sect. 5. cap. 4.
[16]) * l. c. p. 39. obs. I.

in hunc usque diem satis ordinate successit. Interim haud raro emicuit sensus doloris pungitivi in sinistro latere et pressorii in ventriculo, quo medicus consultum inductus, cruditates in stomacho subesse suspicatus est, et ob id porrexit vomitorium satis validum antimoniale. Sed inde dolores et pressiones ventriculi mirum exacerbatae et accesserunt praeterea stricturae praecordiorum anxiae, cum intenso capitis dolore, quin triduo post sanguis magno cum impetu per os erupit, sub extremorum algore, aphonia, animi profunda defectione alvique adstrictione, quae insequutus aestus ingens, cum magna siti. Omnia fere splenitidis symptomata. Laborarat [17]) per longum tempus quartana febre juvenis, et tandem ab empirico, nescio quibus curatus, pravum inde corporis contraxit habitum, cum livido ac plumbeo faciei colore, aliquali etiam circa palpebras tumore et virium languore continuo. Praeterea saepius conquestus est, imprimis post usum flatulentorum vel animi commotionem, de dolore sinistri lateris, alvo simul dura et densa. Tandem cum pedibus iter aliquot milliarium conficiens, corpus valde exagitasset, et rixas etiam cum sodalibus habuisset, incidit inopinato in vomitum nigrum, largius et aliquoties erumpentem; simul secesserunt per alvum faeces instar picis nigrae ac foetidissimae. Sub his aeger saepius animi deliquium, si erigeret corpus, incurrit et intra viginti quatuor horas

17) * l. c. obs. II. p. 40.

exspiravit. Dissecto altero statim die cadavere, tam inficetus nares feriit foetor, ut non ferre possent adstantes. In ventriculo vasa brevia nigro colore conspicua et disrupta apparuerunt, et tam in ejus cavo, quam etiam ileo intestino, liquamen nigrum foetidum comparuit, vasis ilei simul nigricantibus. Hepar naturali aliquanto durius visum fuit, sed lien adeo durus, ut paene cartilaginis speciem praeberet, atque exterior ejus substantia albescens vix acuto cultro discindi posset; mollior autem interior exigua compages superstes atro sanguine erat plena.

Epicrisis. Subitaneae hoc est exemplum mortis, ex sola sanguinis effusione, memoratu utique dignum. Nam in aliis sanguinis profluviis, licet is majori copia effundatur; non tamen tam subito mors, vel etiam animi deliquia accedunt. Quare alia utique subesse debet hujus eventus causa, quam ego quidem putredini cum intolerabili foetore tribuendam esse censeo. Manes magni viri condonabunt juniori rem aliter explicare conanti. Fors sic se res habuit. Latuit diu splenis inflammatio, per iter aliquot milliarium pedibus confectum, per iram sanguis nimie movebatur, chronica inflammatio abivit in acutissimam in sphacelum terminatam.

Foemina sexagenaria [18]) plethorica sedentariae vitae et crassiori victui addicta, post perpessam diutur-

18) * l. c. obs. III.

nam moestitiam, conquesta est aliquamdiu de lassitudine corporis et dolore in sinistro latere. Quum vero curru aliquando veheretur et simul vento frigidiori corpus exponeret, vomitu ejecit magnam materiae nigricantis copiam, mox etiam similis coloris per alvum secessit cum foetore ingenti, ipsa autem sub his dejectionibus aliquoties redeuntibus animi semper passa est deliquium. (Fors ob situm erectum.) In cadavere vasa ventriculi brevia, tumida et sanguine atro erant farcta ac in intestino ileo affatim cruor ater. Hepar magnum erat valdeque induratum, lien non quidem durus, sed naturali duplo major, adeo mollis, ut ipsius substantia digito pressa, mox dehisceret, et sanguis foetidus, obscure nigricans, quaquaversum diffluerat. Si ex his morborum historiis attente colliguntur symptomata, splenitis causa erat, ut inferius patefiet. Morgagni [19]) hanc narrat historiam: Juvenis annorum circiter viginti, quod ex nativa corporis salubritate valetudinarius jam quasi a biennio fieri coepisset, causam rejiciebat cum in venationem, saltationem aliaque ejusmodi, quibus indulserat, tum in proprium artificium, linum enim carminabat. Pallidus autem factus erat et hypochondriacorum more, de ventris thoracisque affectionibus identidem querebatur. Tandem aestate anno 1688 magnus durusque in sinistro hypochondrio sese prodierit tumor, cum ponderis sensu difficilique inter ambulandum

---

19) * l. c. epistol. XXXVI. p. 199. nro. 11.

respiratione. His repente accessit largus sanguinis vomitus cum magna virium jactura, tumoris incremento et febre. Remediorum ope primis diebus a vomitu, deinde etiam a febre liberatus, cum per tres menses proximos chalybeatis usus esset, tumoris quoque durities sublata est: ejusdem tamen magnitudo perstitit, cum pallido et quasi citrino faciei colore. Januario autem mense bis terve redeunte sanguinis vomitu, in vehementem incidit febrem cum pulsu celeri, duro ac parvo, utriusque hypochondrii dolore, pondere, tensione, sitique inexstinguibili. Placidissimo tamen obitu sublatus est nono aut undecimo febris die. Cadavere dissecto, mirum fuit, quam modica in vasis omnibus sanguinis portio superesset. Itaque ventris viscera insueto pallore, et quasi candore ad se oculos alliciebant, si splenem exciperes, qui naturalem servabat colorem; sed auctus adeo erat, ut hepar mole superaret, ponderetque libras quatuor cum semisse. Nec erat aequo durior, nisi quod ad convexam faciem uno aut altero in loco solidiorem alte recondebat substantiam majoris nucis magnitudine. In splenicae venae trunco polyposae concretiones latebant, quae cum ejus venae ramis perbelle se vel intra splenem dividebant. Hepar valde pallidum, rubris duntaxat hic illic maculis distinguebatur. Fellis vesicula hepate pallidior, atque adeo albicans, bilem continebat paucam coloris maxime diluti, cui similis in ventriculi fundo non deerat. Cetera in ventre sana. In thorace pulmones qua anteriora spectabant, pallidi;

qua dorsum ex atro purpurei et inflammati apparuerunt: dissecti autem multum seri emiserunt spumosi. In dextro cordis ventriculo parva concretio polyposa; in sinistro ejus tantummodo inchoamentum. In commentario [20]) ad hunc, auctor plures ex aliis auctoribus adducit casus, qui sententiam meam probare videntur, sed quod jam saepius dolui, symptomata minus accurate fuisse adnotata, et quod adhuc magis doleo, quod ipse fontes, ex quibus hausit celeb. auctor, adire non potuissem. Burserius [21]) de vomitu cruento agens, habet: At frequentior causa est lien obstructus. Vasa enim brevia sanguine restitante oppleta dehiscunt et contentum liquorem in ventriculum evomunt.

Cullen [22]) denique vomitum cruentum pro morbo mere symptomatico declarat, et tandem [23]) affirmat, casus multos vomitus cruenti in scriptis medicorum inveniri, in quibus tumor lienis vasa brevia comprimendo refluxui sanguinis ex ventriculo obstaculum posuit. Bosquillon ad hunc locum Dodonaeum inducit, quem jam apud Forestum audivimus. Cullen [24]) dicit, possibile esse, vomitum cruentum oriri ex hepate obstructo, verum exempla non adeo frequenter occurrere, nec adeo facile explicari posse. Historia morbi, quam S. G.

---

20) * eadem epist. nro. 12. 13.
21) * l. c. volum. IV. part. II. p. 325.
22) * Anfangsgründe d. prakt. Arzneywiss. 2. B. S. 542.
23) * l. c. §. 1027 p. 550.
24) * l. c. §. 1028.

Vogel [25]) de sua uxore habet, splenitis erat, nec unum enim splenitidis symptoma desideratur.

Huc etiam pertinet historia aegri, quam habet Brieude [26]), ubi certo certius splenitis latuit. Vomitus cruentus etiam epidemicus observatus est. Talem observavit F. Hoffmann [27]) Martisburgi mense Septembri. Talem habet Perié [28]). Gadibus bis epidemice regnans hic morbus observatus est, anno 1740 et 1764 aestatis tempore. Perié suspicatus; morbum natales ducere ex calore nimio hyemem humidam excipiente, acetum vini cum sero lactis optimo cum effectu adhibuit. Vomitus cruentus vero, ut supra jam dixi, raro est morbus idiopathicus, plerumque symptomaticus, ut vult Cullen, ergo suspicandum est in his epidemiis viscera abdominalia sanguine copioso provisa, aut hepar aut lienem quod ultimum verosimillimum est, aegrotasse. Fere periodice recurrentis vomitus cruenti exemplum narrat Platerus [29]). Ante decennium circiter no-

---

25) * S. G. Vogel Handbuch der prakt. Arzneyw. 5. Thl. S. 75.

26) Recueil periodique de la societé de medecin de Paris Tom. IV. nro. 8. * Übersetzt in Hufelands neuesten Annalen der franz. Arzneykunde und Wundarzneykunst. Tom. III. p. 408.

27) * l. c. vol. IV. p. II. p. 55. sect. I. cap. III. §. XII.

28) Histoire et memoires de l'Academie des sciences de Toulouse Tom. II. * Übersetzt in Richters chirurg. Bibliothek. 12. B. 2. St. S. 196.

29) Observ. lib. 3. p. 779. * Tissot. l. c. p. 37 confer. Forest. lib. XVIII. p. 168.

bilem quendam Burgundum Tholosae, cardialgia quaedam subito invasit, adeo, ut animo deficeret, quam subito sequutus est vomitus sanguinis concreti copiosi et dejectio ejusdem, sed picis instar nigri, unde valde debilitatus sed mox ad se rediit. Post triennium idem illi accidit, iter, diebus aestivis calidioribus facienti; nam subito febrili paroxysmo correptus in syncopem incidit, sanguinemque supra infraque, uti prius excrevit. Altero biennio interjecto, eadem sanguinis excretio, illum iterum invasit. Ac postremum hoc anno 1611 Julio mense, quo ad me consilii causa venit, eundem paroxysmum est passus. Dolendum, hic nulla alia symptomata praecedentia et morbum concomitantia esse assignata, quod etiam Tissot conquestus est. Huc etiam referenda est observatio VI. Tissoti, ubi per quatuor annos quinquies vomitus sanguinis in puella recurrebat. Dicta de vomitu cruento epidemico, quoque de vomitu cruento periodice recurrente valebunt.

Satis nunc exemplis demonstratum esse, frequenter sub titulo vomitus cruenti splenitidem occurrere putans, unicum hoc subjungo, ut conferatur infra adducenda descriptio splenitidis, illius causarum, et sic porro cum descriptione vomitus cruenti in operibus auctorum, et facile sibi quisque persuadebit, utramque convenire. Ne autem sententia mea in malam vertatur partem, affirmo, me non omnem vomitum cruentum pro splenitide declarare, cum bene persuasus sim pluribus e fontibus posse hunc sanguinem promanare.

§. 5.

Quod nunc de vomitu cruento evincere conatus sum, idem valet de morbo nigro, qui secundum F. Hoffmannum [1]) cum vomitu cruento idem est morbus; titulus capitis enim est: De vomitu cruento sine et cum secessu nigro, seu morbo nigro Hippocratis; cui assentit Tissot [2]), S. G. Vogel [3]), Sprengel [4]) et Reil [5]), secundum quorum opinionem solummodo gradu differunt. Huc etiam spectat Sauvagesii [6]) Melaena splenetica, atrobilis et febricosa, et quodam respectu Melaena prima Hippocratis; huc pertinere videtur casus, quem Horn [7]) habet, et ubi aegra suadente celeb. Vogel solo lacte ebutyrato sanata est.

Quod vero diagnosim splenitidis in morbo nigro difficiliorem reddit, est secundum mentem celeb. Marcus, quod splenitis apparente morbo nigro in stadium secundum vel tertium transeat. Effusione sanguinis, si est notabilis, facta, animi deliquia subintrant, quae omnia turbant; sanguine enim jam effuso lienis tumor et dolor remittit; hinc potius qua terminatio splenitidis morbus niger est considerandus, licet uterque morbus

---

1) * l. c.

2) * Epistol. medico-pract. edidit Baldinger. Jenae et Lipsiae 1771 p. 39.

3) * l. c.

4) * l. c.

5) * l. c.

6) * l. c. Tom. II. p. 332 et sequent.

7) * Archiv f. prakt. Heilk. Jahrg. 1811. S. 81.

plerumque adhuc conjunctus est. Non improbabile videtur saepius splenitidem latitasse, ubi auctores haemorrhoides suspicabantur. Morbum nigrum pro haemorrhoidibus fuisse habitum, Tissot [8]) evincit, et inducit ex Alberti dissertatione de haemorrhoidum anomaliis quaedam in scopum meum quoque quadrantia. Deinde quando hae anomaliae propius ad vomitum cruentum tendunt, pathemata praedicta (et bene multa jam narraverat) acerbius affligunt, imprimis vero a scrobiculo cordis versus sinistrum hypochondrium impetuosius ruunt, et gravius saeviunt, ut sunt: angustationes circa ventriculum et in ileo, quae tanto magis post levem ciborum ingestionem augentur, sive cibi molles, sive solidi fuerint, ut propterea subjecta alimentorum assumtionem admodum vereantur; quo spectant: sensibiles ventriculi torsiones, alternantes inflationes, respirationis oppressiones, singultuosae succussationes, asthmaticae afflictiones, ructuum anxiae et violentae extrusiones, convulsivae concussiones ad diaphragma et ventriculum abeuntes, lancinatoriae, indolentes sensationes in sinistro hypochondrio, vagae reliqui corporis exaestuationes, intercurrentes superficiales horripilationes, sudationes frigidae, occurrentes dolores capitis gravativi et commotiones vertiginosae, oppressiones praecordiorum, refrigerationes extremorum, appetitus graves dejectiones, imbecillitates reliquarum virium etc. quae pleraque saepe symptomata adfuisse novi in iis, qui morbo nigro labo-

8) * l. c. p. 37.

rarunt, et quae observavi saepe in aliis, quos de morbi natura monui et congrua medicatione levavi. Sic Tissot. Si vero concedantur, quae supra de morbo nigro dixi, ergo quoque concedendum est, splenitidem imposuisse pro haemorrhoidibus. Celeberrimus Marcus etiam putat plura, quae apud Sauvages sub titulo gastrodyniae et apud Cullen sub dyspepsiae nomine occurrunt, huc esse referenda.

Splenalgia suppuratoria Sauvagesii [9]) omni jure huc pertinet; nam puris praesentia praegressam inflammationem manifeste demonstrat. Tandem pro pleuritide, hepatitide et peritonitide imponere potest splenitis. Symptomata enim icterica facile opinionem suppeditant, ac si hepatitis vel icterus subesset. Splenitidem cum pleuritide commutari Swieten [10]) testatur: Non videtur improbabile, quandoque sub pleuritidis nomine tractari lienis inflammationem, et absque magno damno, cum cura pleuritidis et huic morbo curando conveniat. Celeber Antonius de Haen, cui plurimas et utilissimas observationes practicas ex cadaverum sectione haustas me debere gratus recordor, talem mihi casum transmisit, qui hoc confirmat.

Tandem hinc inde splenitidem sub melancholiae nomine latitasse, quaedam suspicionem movent. Sic

---

9) * l. c. Tom. II. p. 112. Cornelii Stalpart. obs. rarior. centur. I. apud Mangeti Bibliothec. Med. pract. C.

10) * l. c. tom. III. p. 153.

habet van Swieten [11]) de melancholia agens: Quin immo Galenus [12]) affirmat, quod absque cognitione symptomatum morbi, absque eo, quod tactu indagasset, viscerum statum (abdominalium nempe) potuerit detegere, modo jecur, modo splenem esse affectum, et quidem ex solo colore mutato. Et p. 482.: Generatur autem a calore copioso, vel flavam bilem, et magis atrum sanguinem exassante. Plerumque vero partes hypochondriorum primario affectae, caput ad consensum perducunt et delirium efficiunt.

Morbum nigrum ex Melancholia gigni, Tissot [13]) habet sequentibus verbis. Melancholia frequenter hunc morbum gignit, memorat Cl. Geofroy [14]) hominem sexagenarium et sedentarium, qui diu acutis ventriculi doloribus, sensu molesto in tota epigastrica regione, tardis et laboriosis digestionibus, flatibus, alvi constipatione laborans, ipecacuanha et purgantibus aliquoties lacessitus sanguinem demum nigerrimum sursum deorsumque ejecit; aquis alcalinis viciensibus, moscho, camphora, opio tractatus periit; alia sanandus verosimiliter methodo.

Dum haec scribo, dolens accipio epistolam, quae tristem morbum narrat viri, quem et veneror et diligo, sed vere si quis alius, melancholici. Sic Tissot. Historiam vide ibidem.

---

11) * l. c. tom. III. p. 471 parte II.
12) de loc. affect. lib. V. cap. VIII.
13) * l. c. p. 40.
14) Observat. medic. Gallorum. t. 8. p. 244.

Hisce dictis quaedam subjungenda censeo. Optandum foret, ut exactius inquiratur status lienis in febribus quartanis, quia fere pleraeque organisationis alienationes lienis post febres quartanas autumnales observatae fuerunt: an fors non subsit inflammatio chronica? An non neuroses nonnullae potius ad morbos viscerum abdominalium referendae essent? Videtur saltem.

§. 6.

Diagnosis. Hisce omnibus rite perpensis facile liquet ratio, cur splenis inflammatio in auctoribus rara habeatur. Quaestio nunc solvenda occurrit, an splenitis, ut ceterae viscerum inflammationes gaudeat symptomatibus pathognomonicis, quibus praesentibus ad lienis inflammationem conclusio firma est, nec ne. Cammerlander [1]) habet sequentia: 1. Morbus adoritur vehementi et secundum inflammationis gradum continuo frigore ceu symptomate omnium febrium inflammatoriarum: quod 2. calor sat intensus et molestus excipit. 3. Sitis fere inexstinguibilis. 4. Angustia praecordiorum, respirationis difficultas ob sanguinis circulum impeditum. Ad sententiam confirmandam et explicandam ex Joh. de Gorter habet sequentia: „A lienis inflammatione et sanguinis transitu per istud viscus impedito, in praecordiis pulsationes sentiuntur cum dolore, tensione et anxietate.“ 5. Calor, dolor, gravitas hypochondrii sinistri, tensio ac murmura abdominis, circa flexionem coli si-

---

[1]) Dissertatio de splenitide. Altorf. 1758.

nistram oppressio ac contractio spasmodica. 6. Febris quidem acuta et continua tamen periodice et gradatim exacerbatur. 7. Pulsatio et palpitatio dolorifica lateris sinistri secundum Johnston et Gorter. 8. Pulsus celer, frequens, durus, saepe plenus et fortis. 9. Associatur sensus ustionis in cute, corpore vero aeri exposito, frigus extremitatum oritur: Junker, Nenter et Gohl hoc confirmant. 10. Si haemorrhagia superveniat, contingit ex nare sinistra. 11. Agrypnia et delirium. 12. Incubitus in latus dextrum maxime molestus, nam lien exinde fit pendulus et ventriculo incumbit. 13. Lassitudo, prostratio virium eo major est, quo major inflammationis gradus hoc viscus obsidet. 14. Lingua successu temporis siccescit et nigrescit ob calorem quotidie increscentem. 15. Urina crassa et nigricans ob ingentem calorem febrilem. 16. Anorexia et ciborum fastidium, saepius amaror oris. 17. Vomitus; ob nexum vasorum brevium et ob stagnationem sanguinis in ventriculo. Sic Cammerlander.

Recentiores plerique Sauvages [2]) secuti sunt, qui sic depinxit splenitidem: Est phlegmasia, cujus praecipua symptomata sunt tumor in hypochondrio sinistro, lienis molem et figuram referens, aut locum occupans, cum renitentia, dolore, tactum non tolerante, calore et pyrexia ut plurimum remittente. Quid ceteri auctores de splenitide crediderunt scripseruntque, vidimus. Noster egregius Joan. P. Frank [3]) sic habet: Haec lie-

---

[2]) * l. c. Tom. I. p. 503.

[3]) * l. c. p. 284. §. 252.

nis inflammatio splenitis vocata cum hepatitide quamplurimum convenit, ac iisdem fere signis, sub hypochondrio sinistro urgentibus, cognoscitur. Occurrunt vero hic febris cum horrore frequenter invadens, calor continuus, interdum remittens; sitis magna et anxietas, dolor sub hypochondrio ab attactu, et sub inspiratione acutus ad humerum, mammam et claviculam facile extensus, nunc acutissimus, nunc obtusus, costarum spuriarum limbum plerumque excedens, dyspnoea; aliquando superiori nempe lienis parte diaphragma simul inflammante, irritante, tussis ac singultus; decubitus in sinistrum — aut interdum ex aucta visceris vicino stomacho incumbentis gravitate ac inflammatione huic ipsi communicata, in dextrum latus molestus, nausea continua, vomituritio, aut vomitus copiosus, biliosus, subcruentus (cur tantum subcruentus?) alias vero, et inflammata lienis parte inferiore, quasi renis sinistri dolor; obstructio alvi pertinax, et aliquando tumor sat manifestus, lienis inconstantem licet formam retinens, ac ponderosus. Fere eadem S. G. Vogel [4]) habet.

Sequor in exponendis symptomatibus pathognomonicis celeberrimum Marcus, qui vomitum cruentum primo loco nominat. Pluribus supra demonstrare studui, splenitidem sub vomitu cruento saepius latitasse, restat nunc evincere, illum esse comitem fidelem splenitidis. Repeto, quod supra jam confessus sum, me non omnem vomitum cruentum pro symptomate splenitidis declarare;

---

[4]) * a. a. O. 4. Thl. S. 386. u. f.

hoc tantum affirmo, fere quamcunque notabiliorem splenis inflammationem vomitu cruento stipari, ut etiam P. Frank vomitum subcruentum inter symptomata splenitidis refert.

Ex anatomicis connexio lienis per vasa brevia et arteriam et venam gastro-epiploicam sinistram cum ventriculo abunde patet. In vasis brevibus aut sanguinis venosi aut arteriosi libera circulatio per lienis inflammationem suspenditur, hinc vomitus cruentus facile explicatur, patet simul ex anatomia, lienem, ventriculum et hepar eodem ex fonte, ex arteria coeliaca nempe sanguine provideri, patet ergo facilis inflammationis ad ventriculum, hepar, immo ad diaphragma propagatio. Clarior res adhuc erit, si ex physiologia recolligitur relatio lienis ad ventriculum, influxus sanguinis ex liene in ventriculum digerentem, et refluxus illius in lienem digestione peracta; hinc stagnatio sanguinis in una parte collectionem illius in altera parte necessarie inducit, si ergo per lienem inflammatum refluxus sanguinis suspenditur, necessarie ad ventriculum minus resistentem accumulatur. His accedit, hydrogenisationem sanguinis per lienis inflammationem turbari, hinc quoque oxygenium mutatur in ventriculo, quem irritat et ad vomendum habiliorem reddit. An vero sanguis vomitu ejectus scaturiat ex vasis brevibus certo determinari non potest, quum per anatomiam eorum oscula in cavum ventriculi immediate hiantia, nondum sint detecta; interim res non est improbabilis, quum veteres pathologi jam sanguinis profluvium per anastomosim et quidem omni jure agnoverunt. Re ipsa liquet, ex unico vomitu cruento non

tuto concludi posse ad splenitidem, uti in toto medicinae ambitu nullibi unicum symptoma morbum constituit. Nonnulli auctores, se vomitum cruentum in hepatitide quoque observasse, affirmant; interim si hoc fit, contingit primum morbo dudum inveterato, saltem via per ductus hepaticos et ductum choledochum in intestinum duodenum et ventriculum longior atque difficilior est, quam ex splene; cui accedit, lienem saepius esse morbose collocatum aut se ad hypochondrium dextrum extendere, aut quod etiam verosimile est, morbus pro hepatitide habitus, splenitis erat, quum, uti infra patebit, lienis inflammatio nonnullis icteri symptomatibus stipatur. — Ipsius per vomitum ejecti sanguinis conditio criterion est, qui ab initio plerumque bilioso-mucosa materia mixtus, sero sanguinis similis est, et tamen nigricat. Serius, morbo progrediente, est crassior, nigrior atque copiosior.

Alterum magni momenti symptoma splenitidis est vertigo, leipothymiae sensus, et ipsum animi deliquium, praecipue sub corporis situ erecto, quibus accedentibus prioris symptomatis valor increscit. Hoc symptoma a sanguinis circulo turbato momentanee suspenso dependet; fors etiam per sanguinem in abdomine retardatum et minori copia ad cor redeuntem producitur. Apparentibus symptomatibus syncopticis absque dubio cor est affectum, modo aut primario aut secundario, quod ultimum hic contingere videtur. Fidelissimus comes inflammationis cordis est syncope; et licet minori gradu adsint symptomata syncoptica, nunquam tamen plane deficiunt in splenitide; hinc etiam commutari posset

splenitis cum carditide, quum in hac etiam latus sinistrum patiatur, interim tamen per cetera symptomata a se distinguuntur, ut inferius demonstrabo. Superius demonstrare conatus sum, splenitidem saepius sub morbo nigro latitasse, in quo animi deliquia non semper a copia sanguinis deperditi oriuntur, sed plerumque morbo in apertum ruenti praecedunt: hinc symptomata syncoptica ceu pathognomonica splenitidis sunt habenda.

Tertium symptoma pathognomonicum celeberrimus Marcus dyspepsiam habet, quae vitiatam ventriculi functionem denotat. Ex physiologicis notum est, digestionem valere, si bonus est succus gastricus, in cujus qualitatem vero lien maximum influxum exercet; hinc etiam intelligitur, liene affecto dyspepsiam provocari: quum vero dyspepsia a quacunque ceterorum viscerum abdominalium affectione induci potest et inducitur, hinc, ut ita dicam, centenis ex radicibus propullu at, qua de causa non ceu symptoma pathognomonicum sed potius ceu causa disponens consideranda esset, licet splenitidem in decursu comitetur, eo magis ceu causa disponens consideranda est, quum digestio laesa, pyrosis et cardialgia longo tempore splenitidem praecurrunt.

Maximi vero momenti symptoma est affectio topica splenis, dolor fixus, assiduus, pungens, ardens, pulsatorius, gravativus, attactum non ferens, tumor lienis molem et figuram nonnunquam referens, cum resistentia in hypochondrio sinistro. Haec topicae affectionis symptomata non in quacunque splenitide adeo manifeste patent, hinc possibilitas splenitidem praetervidendi, hinc

necessitas, ubi lienis inflammati suspicio adest, ut aeger erectum situm per aliquot temporis spatium teneat, in quo situ, imprimis si aegri simul inspirant, omnia symptomata recensita clarius prodeunt, intelligitur. Celeberrimus Marcus affirmat, se pluries observasse, hanc topicam affectionem cum vomitu cruento esse in ratione inversa, ita, ut, quo minor sit hic, eo major illa appareat. Haec sunt symptomata, quae unico spleni inflammato conveniunt. Expediet videre, quomodo cetera symptomata, aliis inflammationibus quoque communia, in splenitide se habeant.

§. 7.

Pulsus in carpo sinistro suppressus est, saepius intermittens, quem Sagar [1]) sub inspiratione observavit; pulsus suppressus in carpo sinistro etiam carditidi et pleuritidi proprius est, hinc in splenitide etiam cetera phaenomena rite observanda veniunt. Pulsus suppressus, parvus, saepius intermittens, inflammationes viscerum abdominalium concomitans, seducit medicos, ut hae inflammationes saepius non cognoscantur. Ratio hujus pulsus haec est: Viscere quodam notabiliori abdominali inflammatione correpto, minor sanguinis copia per venam cavam ad cor redit, cui accedit magna sensibilitas et consensus viscerum abdominalium, hinc pulsus spastice contrahitur, intermittit fors ob magnum,

---

1) * Systema morb. sympt. p. 656.

ventriculum, diaphragma et cor, prementem lienem: tamen non adeo frequenter intermittit in splenitide pulsus, ut volunt auctores veteres. — In nostra aegra pulsus erant sat vegeti.

Quamcunque inflammationem, ita etiam splenitidem comitatur febris, cujus indolis saepius ansam praebet, ne morbus cognoscatur. Hanc febrem mitem, diu protrahentem splenitis cum pluribus viscerum abdominalium inflammationibus, si hepatitidem demas, communem habet. Fere quaevis viscerum abdominalium inflammationes concomitans febris typum remittentem, cum modicis exacerbationibus tenet; cum pulsu parvo, contracto, debili, intermittente, cohaeret calor non tantus, immo aegri saepius frigidi tanguntur, quod ex refluxu et accumulatione sanguinis in cavitatibus internis sequitur; nausea, vomitus, imprimis vomitus cruentus spasticam cutis contractionem adjuvant. Pallor, facies collapsa, cutis discolorata, aspectus tristis facile errori diagnostico ansam praebent; tempore exacerbationis, quo etiam aegri sunt observandi, tantum melius cognoscitur splenitis, licet non sint adeo insignes exacerbationes. Ratio exinde liquet, quia magis hypochondriaci, melancholici, atrabiliarii, homines debili reproductione laborantes splenitidi obnoxii sunt; immo nonnulli, ut Junker [2]), defendunt febrem splenitidis comitem typum quartanum prae se ferre. Sauvages [3])

[2]) Cammerlander l. c.

[3]) * l. c. T. I. p. 503.

etiam adsentire videtur cum habet: — Pyrexia praeterea est quarto quoque die ut plurimum exacerbans. An et quomodo hoc veritati et experientiae conveniat, aliis relinquo; interim exinde apparet, decursum febris non esse adeo velocem. Durat febris, uti et ipse morbus per quatuordecim dies, non raro vero diutius protrahitur ad 21, 28, et ultra, diem. Hoc valet de splenitide sporadica, ubi febris character a constitutione et causis praedisponentibus dependet; si vero epidemice regnat splenitis, aut subjecta juvenilia, robusta aggreditur, decursum velociorem et symptomata, praecipue topicae affectionis, magis evoluta et synocham comitem habet.

Sitis implacabilis, quam etiam celeberrimus Marcus observavit, et quae in aegra nostra valida et intensa erat, indivulsus est comes splenitidis, et ex physiologicis supra allatis facile explicatur.

Decubitus aegri non est negligendus; plerumque decubitus supinus solus concessus, interim ille in latus dextrum longe difficillimus; verum nec decubitus in latus sinistrum, si splenitis vehemens, aut facies convexa affecta est, conceditur, aut valde dolorificus est. Ratio patet.

Dolor ad claviculam, scapulam sinistram se extendit, interim hoc symptoma non est constans, et celeberrimus Marcus illud non ubique observavit, nec in aegrota nostra illud observavimus.

Haemorrhagia ex nare sinistra nonnunquam contingit, verum raro ab initio, sed morbo jam ad finem

vergente, qua crisis. Forestus [4]) tamen observavit, et sic habet: Verum, quod jam fere omissum est, cum hic laboraret lienis inflammatione, et quarto die sanguis e sinistra nare erumperet, magnam attulit utilitatem.

Urina non est uti nonnulli volunt, paulum crassa et nigricans, sed potius flavicans et aquosa, si vero hepar simul inflammatur, aut seriori decursu splenitidis, urina crassa, profundior et nigricans evadit: nostra in aegrotante urina semper erat profundius tincta et fere quotidiè sedimento rubri aut violacei coloris, nunc pulverulento, nunc mucoso instructa. Urina vero, secundum celeberrimum Marcus diagnosim juvat, cum profundior ictericus color urinae hepatidi conveniat, color urinae stramineus vero, etiamsi flavedo faciei simul adsit, splenitidi competat.

Si inflammatio inferiorem et anteriorem lienis partem obsidet, tumor et durities in hypochondrio sinistro lienis molem et figuram nonnunquam prae se ferens, ut in nostro casu, tangitur, dolores se propagant deorsum, retrorsum ad dorsum et renem sinistrum. Si vero superior pars magis est inflammata, ventriculus, diaphragma, et ipsum cor patiuntur, hinc oppressio, anxietas, tussis, nausea, vomitus, singultus, animi deliquia.

His omnibus simul rite collectis, splenitis facile ab omni quacunque alia viscerum inflammatione distinguenda erit. Pleuritis a splenitide per dolorem pungen-

---

[4]) * l. c. p. 279. Schol.

tem in latere thoracis, per respirationem difficilem, per tussim siccam, dolorificam, sub inspiratione profundiori valde adauctam, et demum per febrim continuam differt. In carditide animi deliquia statim ab initio adsunt, et validiora, dolores superiori loco percipiuntur, adsunt cordis palpitationes, et febris est continua. Diaphragmatis inflammatio a splenitide distinguitur per dolorem stringentem, contrahentem in regione diaphragmatis a sterno ad dorsum et lumbos se extendentem, per anxiam, citatam, sublimem respirationem, solo thorace absolvendam, absente pulmonum inflammatione; per introtractionem et constrictionem utriusque hypochondrii, per risum sardonium et praecipue per singultum. Gastritis per vomitum, quo quodcunque assumtum statim rejicitur, et per febrim continuam facile dignoscitur. Renis sinistri inflammatio per urinae secretionem multo imminutam, per urinam rubram, flammeam aut etiam cruentam vel purulentam, per dolorem in ureterum directione ad vesicam se extendentem, per retractionem testiculi, per pedis stuporem, per dolorem inferius et magis versus tergum et profundius haerentem, abunde a splenis inflammatione discernitur.

Stabilita nunc clara, ut opto, diagnosi splenitidis, ejus decursus descriptionem aggredior.

§. 8.

Splenis inflammatio stadia et decursum, ut reliqui morbi acuti, agnoscit. Stadium incrementi, quod etiam

illud prodromorum continet, non est negligendum, quia multum ad diagnosim splenitidis confert. In plerisque inflammationibus morbus derepente caput extollit, quin stadium prodromorum praecesserit; immo nonnulli aegri ante morbi eruptionem sanitate optima, qua nunquam antea fruebantur, gaudent; aliter res se habet in lienis inflammatione. Aegri longum per tempus antea sunt indispositi, colorem faciei pallidum vel etiam flavescentem prae se ferunt, digestio languet, acido ventriculi, pyrosi laborant, morosi, animo dejecti et valde sensiles vivunt. Appetitus quidem non est totus deletus, verum cibis assumtis oppressio ventriculi, dolores pungentes, fugaces in hypochondrio sinistro superveniunt; accedit horripilatio, cui calor adauctus quidem subsequitur, sed raro in calorem ardentem transit. Interim hoc temporis momento splenitis oboritur; aegri quotidianis muneribus adhucdum funguntur, licet vesperi sint lassi et defatigati; noctis tempore in situ supino tranquille quiescunt, licet somnus jam sit nonnihil turbatus, et siccitas oris et sitis illos infestet, mane negotia consueta aggrediuntur, interim vertigine, nausea et vomituritionibus vexantur. Haec opportunitas diu durat, plerumque per quatuor aut septem dies; exinde videre est, quam tarde splenitis evolvatur.

Nunc febris fit intensior, per diem plures superveniunt exacerbationes, nec adeo vehementes, nec diu durantes, tempore intermedio aegri magis frigent, quam calent, dolores pungentes in hypochondrio sinistro sunt

majores et diutius durant, interim tamen per horas intermittunt: morositas, appetitus deficiens, sitis, ardor in epigastrio increscunt; nunc aegri derepente animo per mediam vel etiam per integram horam linquuntur, et cum hoc momento splenitis efformata est.

Ab hocce tempore symptomata omnia, tum febris, tum topicae affectionis fiunt graviora; anxietas, sensus oppressivus in regione epigastrica augetur, et tandem subsequitur vomitus cruentus, quo symptomate splenitis efformata cognoscitur. Huc spectat descriptio haematemeseos cum historia adnexa, quam habet S. G. Vogel [1]), quae cum nostra splenitidis descriptione concordat, et opinionem superius de vomitu cruento stabilitam optime suffulcit.

Postquam vomitus cruentus subintraverit, praecipue primo aut ingrediente secundo morbi stadio omnia symptomata enarrata intensiora et diuturniora fiunt, accedit frigus extremitatum, sinistrum praecipue latus magis friget et minus sentit, dolores pungentes in lienis regione ingravescunt, et plerumque tumor sese associat, interim hic tumor figuram lienis rarius repraesentat. Exacerbationes vespertinae fiunt luculentiores, non adeo magno calore, sed potius diuturniori duratione molestant, aegri per integram noctem nausea, vomituritionibus, siti fere inexstinguibili, animi deliquiis cruciantur. Mane symptomata adeo mitigata sunt, ut aegrum febris expertem credas, quum calor non sit adauctus,

---

1) * l. c. 5. Thl. S. 74. §. 4.

pulsus licet frequentior quidpiam, alio modo non multum mutatus, nisi quidpiam contractus et suppressus appareat. Nunc icteri quaedam symptomata prodeunt, hypochondrium dextrum nonnihil affectum est, albuginea flavet, color faciei et cutis flávescit, urina tamen colorem profundum ut in ictero non exhibet, et ipsa albuginea minus quam in hepatitide flavet.

Proprium faciei colorem splenitide, aut aliis lienis affectionibus laborantes prae se ferunt, pallide flavum scilicet aut nigricantem.

Nunc etiam per alvum materia nigricans evacuatur; hucusque enim alvus clausa observabatur. Cum hocce symptomate morbi stadium ultimum adest, et quum plerumque hoc stadio primum medicus arcessitur, hinc facile morbus ignoratur. Sanguis per vomitum primo stadio ejectus, nec copiosus, nec purus, sed diversis est mixtus. Celeberrimus Marcus affirmat, se nunquam ab initio morbi sanguinem per alvum evacuatum vidisse.

Slpenitis, etiamsi optime tractetur, ad diem decimum quartum, vel etiam ad vigesimum primum excurrit. Exacerbationes decrescunt, omnia symptomata imminuuntur, aegri erecto corpore sedent, et appetitus tandem quoque revertitur.

§. 9.

Causae. Quemadmodum observatur corporis constitutio ad pulmonum, hepatis, inflammationes prona, sic et est talis ad splenis inflammationem disponens, qua affecti homines lienosi, splenitici Milzsüchtige audiunt;

eorum color faciei est nigricans, quum cholerici flavent, hi ira facile excandescunt, illi ad morositatem, melancholiam et tristitiam inclinant, pusillanimes facile lacrymas fundunt. An non plerique, violentas sibi manus inferentes huc referendi essent? Dispositi ad inflammationem et alios lienis morbos acido ventriculi, pyrosi et cardialgia vexantur; haec dispositio saepius per annos durat, quin splenitis in conspectum veniat. Per adauctam activitatem organon ad concipiendum morbum, et praecipue ad inflammationem disponitur. Quidquid ergo lienis functionem exaltat, sanguinemque in genere et sanguinem lienalem in specie hydrogenio locupletat lienem ad inflammationem aptum reddit; hinc dispepsia, pyrosis, acidum ventriculi, cardialgia ceu symptomata exaltatae lienis functionis splenitidem praesagientia momenta sunt habenda. Interim etiam via e diametro opposita lienis proclivitas in inflammationem inducitur. Lienis functio supprimi potest, sanguis lienalis fluiditate, aquositate privatur, et infarctus lienis subsequitur, ut fit in morbo nigro, ubi vasa brevia turgida, atro sanguine repleta inveniuntur, hi casus tamen rariores esse videntur. Si splenitis melius fuisset cognita auctoribus, fors etiam exempla epidemice regnantis splenitidis exstarent.

Si evictum esset, quod evincere conabor, illum morbum, quem veterinarii sub nomine Milzbrand describunt, in lienis inflammatione consistere, nullus morbus in pecoribus frequentior esset splenitide. Res est verosimilis; oritur enim morbus aestate, Syrio nimie ardente, fontes et rivos exsiccante, hinc aqua ad potum

necessaria deficiente, et incaute potu frigido pecoribus concesso. Quo major enim caloris gradus infestat, eo minor frigoris gradus jam sufficit ad inflammationem provocandam; huic accedit plerumque subjecta juvenilia, robusta, bene nutrita hoc morbo prehendi [1]). Joannes David Mauchard [2]) casum memoratu dignum et sententiam meam comprobantem assignavit. Hora quarta pomeridiana auctor vaccas vidit sanas, alacres, hora septima nunciat, qui vaccarum curam gerebat, unam earum praegnantem periculose aegrotare ex ebullitione sanguinis (vulgo das wilde Geblüt). Auctor habuit hunc morbum pro febre maligna ex vel cum visceris alicujus interni inflammatione. Paulo post recurrit idem pecoris magister et refert, vaccam cum morte luctari, protinus occidendam suadet, nisi cedere debeat deglubitori. Factum est, et vacca dissecta. In tota vacca nihil praeternaturale deprehensum est praeter maculam gangraenosam in sinistro uteri cornu, cum foetus fere maturus in dextro quiesceret jam mortuus, lata erat macula fere palmam, sed superficialis tantum. Quatuor maculae gangraenosae in intestinis tenuibus. Tandem deprehensus est lien secundum omnes auctus dimensiones (quod etiam D. Toegel artis veterinariae Professor se pluries observasse ajebat) nigerrimus, triplo fere major naturali, et digitis prementibus undique cedens et

---

[1]) * Unterricht für Dominien und Unterthanen u. s. w. 1810. S. 26. Milzbrand.

[2]) * Ephemerid. Natur. Curios. Cent. IX. obs. 42. p. 110.

sub manibus quasi diffluens. Auricula denique cordis sinistra leviter tumens et inflammata; reliqua omnia naturaliter constituta. Miratus est auctor non tam mortem ex tanta visceris tam nobilis inflammatione, quam ejus acutum tempus et violentiam in armento paulo antea ad speciem sano. Quarta die alia vacca aegrotare incepit, et breviter occisa est. Deprehensa est eadem lienis constitutio, nulla vero in aliis partibus gangraena observata est. Hisce binis sectionibus auctor ipse interfuit. Eadem die vesperi et tertia aegrotat, quae non occiditur, nocte occubuit. Auctori relatum est, eandem fuisse lienis constitutionem, nec aliud deprehensum esse vitium. Tres reliquae hujus gregis a ceteris separantur, sed eodem vesperi et quarta male se habere incepit. Interim accersitus est veterinarius, perquam famosus, opilio prope sexagenarius, qui cum primo in auctorem incideret, qui ipsi vix narrare occepisset phaenomena de cordis palpitatione et difficili respiratione (et praeter anorexiam nulla alia mali signa) mox regessit: causam esse lienis inflammationem der Brand im Milz et multa se experientia doctum confirmavit, morbum esse lethalem, nisi statim venaesectio instituëretur, et radix bryon. daretur in pulvere. Deductus ad vaccam vix ab horae spatio aegrotantem desperavit mox de curatione, dedit tamen tres taleos radic. bryon. aridos et vacca devoravit avide, cum antea non minus quam reliquae post invasionem nihil pabuli capere voluisset. Dein venas incidit in oculi orbita utriusque. Rivulose prosiliit san-

guis valde niger, crassus et glutinosus. Duabus reliquis eaedem sectae sunt venae, sed sanguis valde erat rubicundus, et quasi miniatus, nec adeo impetuose promanavit. Omnibus tribus denuo datus est pulvis rad. bryon. in pane eo cum successu, ut non solum sanae nihil paterentur mali, sed aegrota quoque sexta post morbi principium hora rursus non ruminaret modo, verum comederet biberetque, atque ita demum plane restitueretur. Altero die reliquis quoque armentis sectae sunt venae eaedem supra indigitatae datusque pulvis idem; nec ab eo tempore ullum postea mali habuit, multo minus occidi debuit. — Rem fusius narravi, quia haec observatio aptissima ad sententiam meam propositam confirmandam videtur.

Praecipuae causae splenitidem inducentes a climate ipso petendae forent, nimirum vesperae et noctes frigidae dies calidissimos excipientes; non minus potus frigidus excalefacto corpore haustus. Hoc respectu splenis inflammationem ceteris inflammationibus esse persimilem facile patet, quum causae excitantes sint eaedem, et tantum disponentes differentiam ponant. Juxta mentem celeberrimi Marcus splenitis certum anni tempus, proprium clima, et propriam coeli zonam habere debet, ubi frequentius et epidemice regnat. Sporadice splenitis uti et ceterae inflammationes quovis anni tempore, epidemice vero sola aestate caput extollere potest; ex physiologicis enim notum est, sanguinem lienalem multo esse aquosum, dissolutum et fluidum,

per magnum calorem hic status normalis fluiditatis (ab initio saltem) augetur, quo major vero est caloris gradus, eo minor frigoris gradus jam sufficit validis mutationibus producendis. Hanc opinionem defendere videntur morbosae lienis affectiones, placentae febriles dictae, quas febres remittentes et intermittentes sub sole calidiori relinquunt. Hae affectiones (an non sint pro chronica et occulta lienis inflammatione habendae?) frequenter in Hungaria in febribus aestivo ardore regnantibus occurrunt, et P. Frank [3]) habet: — Nunc volumine, quod apud Insubres endemicum est, sine manifesto substantiae infarctu insigniter augetur (lien). Sic lienis tumores chronicos apud Bengalenses et in se ipso medicus Anglus Young [4]) post febres remittentes et intermittentes cauterio actuali solummodo sanandos observavit; in quibus regionibus circumstantiae prius assignatae juxta experientiam observatorum omnes inveniuntur.

Reliquae causae splenitidis assignatae sunt: violentiae externae lieni illatae, inflammationes viscerum vicinorum, diaphragmatis, ventriculi, renis sinistri, hepatis, peritonaei, stases sanguinis in ipso splene, et haemorrhagiarum consuetarum suppressio.

---

3) * l. c. part. II. p. 284.

4) Annales of med. by Duncan. Lustr. II. vol. I. et * Journal d. ausl. med. chir. Litteratur 6. B. 1. St. S. 130.

Cammerlander [5]) vidit splenitidem cum gastritide obortam post haustum potum frigidum excalefacto corpore. In dissecto cadavere lienem triplo consuetim majorem, profunde rubrum, tumidum, attactu duriusculum, crasso, nigricante sanguine adeo repletum, ut vasa etiam in interiori splenis substantia eo turgerent, invenit. Praeterea ventriculus et intestina vicina erant rubra et inflammata.

§. 10.

Terminationes. Splenitidi varias competere terminationes (quod jam ab initio adnotavi, si nempe per analogiam valeat conclusio) facile sibi quisque persuadebit, qui scriptorum numerum in Ploucquet [1]) sub titulo: Splen durus, magnus, infarctus, obstructus, scirrhosus, tumidus, cartilagineus, apostema lienis adspexerit. Faustissima terminatio splenitidis est resolutio per crises perfectas faustas.

In splenitide sicuti in quacunque febre cum topica organi alicujus inflammatione conjuncta, duplex distinguenda est crisis, scilicet illa ipsius febris, et illa topicae inflammationis; febris per sudorem vaporosum, tepidum, universalem, et per urinam hypostaticam judicatur. Quum febris splenitidem concomitans saepius non adeo vehemens appareat, hinc etiam criticae evacuationes non adeo sensus nostros feriunt. Topicae

---

[5]) l. c. p. 34.
[1]) * l. c.

affectionis crisis haemorrhagiis absolvitur, quae sunt haemorrhagiae ex nare sinistra; Hippocrates [2]) talem observavit morbi die decima; talem habet Forestus [3]); aegrota nostra die nona modicam haemorrhagiam ex nare dextra experta est; vomitus cruentus, alvus biliosa, subcruenta, cruenta, morbus niger. In splenitide, cujus decursus plerumque tardior est, praecipue in subjectis debilibus, excurrit enim ad 14tam diem, immo per 4 — 6 septimanas durat, haemorrhagia narium non determinate diebus sic dictis criticis, sed aliis quoque apparet.

Vomitus cruentus, morbus niger, qua crises considerati, non statim ab initio morbi apparere debent; nam ab initio morbi apparens haematemesis, cujus origo jam est exposita, est symptoma pathognomonicum ex mente celeb. Marcus, morbum vero non judicat, tunc temporis sanguis vomitu ejectus non est copiosus, non est purus, sed cibis, pituita et bile commixtus; vomitus vero morbo declinante, ad finem vergente prorumpens saepius criticus est, morbus enim alias via recta porrecta in sanitatem abit, alias etiam lethum infert. Per haematemesim criticam sanguis nigricans, ater, coagulatus, grumosus, graveolens praecipue prima evomitione ejectus, magna copia evacuatur; provenit verosimiliter hic sanguis ex splene per vasa brevia aut fors aliam per viam in ventriculum delatus.

Sententiam suffulcire videtur, quod lien paulo ante turgens dolorificus, postea minus tumet, ut habet Fo-

---

2) * lib. I. de morb. popular. p. 112.

3) * l. c. p. 279.

restus [4]), et minus dolet, ita quidem, ut paulo post decubitus in latus sinistrum facilius feratur. Magna copia sanguinis evacuati saepius ex ruptura vasorum brevium verosimiliter originem ducit; hinc intelligitur periculum et subitanea nonnunquam mors subsequuta. Hunc vomitum animi deliquiis stipari, facile patet; stipatur vero etiam consuetim cruentis alvi dejectionibus nigricantibus, grumosis, graveolentibus. Has alvi depositiones cruentas medici saepius pro haemorrhoidibus habuerunt; ubi vero simul adest haematemesis, et praecipue topica hypochondrii sinistri affectio, certissime haemorrhoides immerito culpantur.

Criticis evacuationibus in splenitide quoque adnumeranda est diarrhoea biliosa; huc multa quoque pertinent, quae sub nomine infarctus obveniunt; hinc etiam Tissot [5]) opus Kaempfianum de infarctibus saepius adducit. Non vero omnes infarctus, tantum sic dictos piceos, sanguinolentos huc esse referendos censeo.

Nunc quaedam de terminationibus, omnibus viscerum inflammationibus communibus ad lienis inflammationem relatis. Viscerum omnium sanguine abundantium inflammationes facile abeunt in suppurationem; hoc videmus in peripneumonia, in hepatitide, hoc etiam contingit in splenitide, et quidem eo magis suppuratio est timenda, quo subjecta splenitide prehensa sunt juniora, succulentiora, quo inflammatio est vehementior

---

[4]) * lib. XVI. p. 37.

[5]) * l. c. plur. locis.

et superiorem diaphragmati et ventriculo vicinam lienis partem occupat. Pus vero jam efformatum diversas sibi parat vias in organa vicina, inflammatione praegressa per lympham coagulabilem exsudantem lieni adhaerentia, ut: per diaphragma erosum rumpit sursum in cavum thoracis, empyema producens; casum memoratu dignum, habet Coze [6]), in quo totum fere lienis parenchyma suppuratione devastatum et via ex abscessu in ventriculum patula deprehendebatur. Huber [7]) lienem in puero novem mensium suppuratum vidit. Evacuari potest abscessus in renem sinistrum, et tunc pus in urina conspicitur, ut habet Forestus [8]) in Monacha Alcmariana, quae tamen sanata est; in colon transversum, et tunc diarrhoea purulenta subsequitur. Macbride [9]) vidit ascitem purulentum ex abscessu lienis obortum; casum huic similem cum morte subitanea habet Soemmerring [10]). Denique per musculos abdominales extrorsum pus sibi parat viam et tunc abscessus ope chi-

---

6) Journal de Medecin 1790 Fevrier nro. 16. * Übersetzt in Hufelands neuesten Annalen der franz. Arzneykunde und Wundarzneykunst I. B. S. 158.

7) Obser. 313. Merk de anatom. lienis ejusque abscessu feliciter curato. Giessae 1784.

8) * lib. XX. p. 279.

9) * System. Einleit. in die theoret. und prakt. Arzneyk. Leipzig 1773. S. 713.

10) * Baillies (Math.) Anatom. des krankh. Baues von einigen der wichtigsten Theile des menschlichen Körpers mit Zusätzen von Th. Sömmerring. S. 158.

rurgica est sanandus, ut habet Blasius [11]), vel etiam pus pedetentim substantiam lienis corrodit, et saccus pure repletus remanet, unde phthisis splenitica ortum ducit.

Licet non adeo frequenter uti hepar, saepius tamen et lien induratur, praecipue si inferior reni sinistro vicina lienis pars inflammatione obsessa fuerit. In statu sano lien est viscus mollissimum, patet ergo vehementem causam requiri ad hanc statui sano plane oppositam lienis conditionem producendam, quam ab inflammatione in pulmonibus etiam sat mollibus et vasculosis induci videmus, ergo eandem causam in liene subesse arbitror. Tubercula in substantia lienis, tuberculis scrophulosis in pulmonibus, persimilia Baillie [12]) vidit, et uti affirmat sine suppuratione, hinc et illum haec tubercula ceu inflammationis sequelas habere credendum est. Velamenta lienis saepius cartilaginea et plerumque in superficie convexa inveniuntur. Exempla de liene indurato, cartilagineo, immo ossefacto, qualis in musaeo Vindobonensi [13]) asservatur, in auctoribus plura occurrunt [14]).

Status praecedenti e diametro oppositus est nimia splenis mollities. Baillie [15]) lienis substantiam muco molli, subfusco, spongiosa, fibrosa textura intermixto

---

11) Obs. med. part. I. obs. XXV. p. 34. Richard de Hautesierk. Recueil d' observat. de Medecin. Tom. II. p. 590.

12) * l. c. p. 155.

13) * A. R. Vetter's Aphorismen aus d. pathol. Anat. Wien 1803. S. 242.

14) * Baillie l. c. p. 156.

15) * l. c. p. 156.

persimilem vidisse refert; similia exempla plura habentur apud auctores, v. g. Morgagni [16]), de Haen [17]). Hanc morbosam lienis mollitiem sine magno sanitatis periculo existere posse ex structura et functione lienis facile explicatur. Concretiones lienis cum vicinis visceribus per lympham coagulabilem exsudantem saepius oriri, supra jam indicavi, et quod jam Hippocrati [18]) notum fuisse videtur, cum habet: Splen autem magnus quidem non valde fit, verum durus et ad viscera allabitur et adhaerens sugit. Baillie et Soemmerring [19]) idem testantur, et posterior has concretiones ceu effectus inflammationis praegressae considerat.

Lieutaud etiam lienem gangraenosum vidit. Procul dubio possibilitatem terminationis splenitidis in gangraenam nemo inficias ibit, licet casus sint rarissimi. Conditiones gangraenam adjuvantes, aut in vehementissimo inflammationis gradu, ubi sanguis accumulatus omnem per systema capillare transitum sibi praecludit, aut in magna visceris inflammati sensibilitate inveniuntur. Uterque vero casus in splenitide rarissimus; ex physiologicis enim scimus, sine sanitatis noxa sanguinem in liene accumulari posse, sicuti, non gaudere magna sensibilitate. Mors in splenitide subsecuta vero-

---

16) * l. c. epist. XXV. §. 10.

17) Heilmethoden. Theil 9. Kap. 1. §. 3. Band 4. S. 185. und §. 4. S. 189. Thl. 11. Kap. 4. §. 4. Band 5. S. 148.

18) * l. de intern. affect. p. 79.

19) * l. c. p. 152.

similiter saepius ex ruptura vasorum sanguiferorum lienem cum ventriculo nectentium est explicanda. Opinionem meam de morbo in pecoribus Milzbrand vocato, jam superius dixi.

§. 11.

Prognosis. Quemadmodum in omnibus inflammationibus, quae magna, sanguine opulenta et nobili organismi munere fungentia organa obsident, prognosis in genere dubia, anxia statuenda est, sic etiam in splenis inflammatione. Quamquam exempla prostant lienis excissi in animalibus, quae non modo nullum detrimentum (ad speciem saltem) exinde capiebant, sed potius pinguescebant; licet intumescentia et major mollities sine sanitatis detrimento (quia haec vitia functionem lienis non adeo turbant) adesse possunt, res tamen aliter se habet inflammatione lienem occupante. Gravitas morbi ex vomitu cruento, morbo nigro, quorum sub nomine splenitis saepius latuit, clare apparet.

Veteres jam diversam, pro diversitate partis splenis affectae, prognosim statuerunt, dixerunt, nullo habito respectu ad dolorem vehementiorem, prognosim esse faustiorem, si inflammatio erysipelatosa (fors rheumatica dicenda?) involucra et superficiem splenis teneat, quia morbus citius et plerumque die septima judicatur; splenitidem phlegmonosam esse vehementiorem atque periculosiorem, maximo vero periculo conjunctam esse parenchymaticam, internam, quia haec, si obex non ponatur justo tempore, in suppurationem et gangraenam abit.

Haec distinctio veterum in prognosi statuenda non est vilipendenda; recentiores illam negligere videntur substituendo inflammationem arteriosam et venosam. Quum vero juxta effatum celeberrimi Walther et juxta experimenta clarissimi Gruithuisen omnis inflammatio a systemate capillari natales ducat, hoc systema vero, ut volunt recentiores, punctum indifferentiae arteriositatis et venositatis sistat, patet, quanti sit habenda inflammatio arteriosa et venosa; opposita ex parte inflammatio erysipelatosa (saltem in phaenomenis, nam essentia differre vix puto) a phlegmonosa distinguitur, quum posterior integram massam organicam penetrat, prior vero superficiem adamare videtur. Veteres minori periculo stipari splenitidem quam pneumoniam et hepatitidem credidisse, patet; Hippocrates enim habet: Inflammationem hepatis in lienem converti melius est, quam si lienis ad hepar deferatur, et Aetius [1]): Ceteris paribus malum hepatis est gravius malo lienis, quia jecur pars praestantior. Dixerunt, splenitidem judicatum iri, si appareat die 4ta haemorrhagia ex nare sinistra [2]), et dolor paulatim imminuatur, urina cocta sedimentum lateritium deponat; si die septima sudor copiosus aut si alvus fluidior et urina majori copia superveniat; fluxum haemorrhoidalem nonnulli addebant [3]). Interim, quod non est oblivescendum, lien est organon hepati et ventriculo pernecessarium, necessarium ad

---

[1]) * l. c.

[2]) * Forest. l. c.

[3]) * P. Frank l. c. part. II. p. 285.

chymificationem, chylificationem hinc et ad sanguificationem, patet ergo morbi periculum; verum etiam constitutio corporis, constitutio epidemica, stationaria, febris character, aetas aegrotantis, sedes inflammationis, complicatio et gradus morbi prognosim dirigunt.

Splenitis simplex non complicata, rite cognita, in subjectis juvenilibus prognosim faustiorem admittit, majus vero premit periculum, si homines atrabiliarii, melancholici, digestione labefactata laborantes splenitide corripiuntur, et hoc respectu valde differunt inflammationes in abdomine ab illis in cavo thoracis; majus periculum minatur splenitis tempore aestatis fervidae, autumno appropinquante ob conditionem sanguinis magis dissolutam. Quo inferior versus renem sinistrum splenitidis sedes est, eo diuturnior est decursus, eo difficilior resolutio, eo facilior induratio; inflammatio lienis partem ventriculo vicinam obsidens periculosior est, ob nisum in haematemesim. Si splenitidem statim ab initio plura symptomata icterica comitantur, prognosis ob sympathiam hepatis infaustior; hinc si inflammatur utrumque viscus, prognosis valde dubia et anxia est statuenda.

§. 12.

Therapia. J. P. Frank [1]) de cura splenitidis habet sequentia: Nec aliam sibi splenitis medendi methodum, quam quae pro hepatitide exposita fuit, sibi expostulat; et hoc recentiores ceteri omnes affirmant, si

---

1) * l. c. p. 286.

celeberrimum Marcus demas, qui egregie splenitidis therapiam exposuit.

In genere quidem verum est, etiam splenitidi, ut ceteris omnibus inflammationibus methodo antiphlogistica mederi, interim tamen in specie peculiarem medendi methodum lienis inflammatio sibi vindicat, quod eo verosimilius evadit, si functio lienis ab illa hepatis adeo discrepans consideratur. Generalis medendi methodus in omnibus internis inflammationibus, in peripneumonia et hepatitide v. g., quidem eadem, sed specialis differt: idem ergo valere debet hepatitidem inter et splenitidem. Veteribus ob incognitam lienis functionem condonandum, quum curam hepatitidi congruentem etiam splenitidi congruere statuissent. Sic Araeteus [2]) habet: Lieni inflammato eadem conveniunt, quae et jecori; quem secuti sunt: Maurit. Hoffmann et Joh. Hartmann; interim tamen venerabilis antiquitas meliora jam cognovit, et rem aliter se habere ex differentia structurae hepatis et lienis, ex differentia symptomatum et prognosis et tandem ex differentia remediorum demonstrare conabatur.

Ad sententiam roborandam inducebatur, membranam hepar cingentem non adeo cohaerere cum interna ut in liene, hinc priorem esse procliviorem ad concipiendas inflammationes erysipelatosas; hepatis parenchyma gaudere structura solidiori et glandulari, illud lienis esse mollius, hinc resolutionem in hepate esse difficiliorem quam in liene; praecipuum vero momentum in eo consistere, quod in hepate bilis secretio per-

---

[2]) * De causis diutur. morb. p. 203.

agatur, quae turbata diversissima mala inducit, quum in liene secretio nulla sit cognita; hinc etiam non eadem symptomata lieni inflammato competere posse, quae hepar inflammatum comitantur, ergo remedia etiam cuique inflammationi convenientia diversa esse debere. Huc referendi sunt Galenus, Alex. Trallianus, Forestus Junker, Etmüller et alii.

Veteres in splenitide sequentes indicationes statuerunt. Sanguinis et humorum confluxus a liene derivandus, major inflammationis gradus infringendus, sanguis crassus in liene stagnans attenuandus et distribuendus est; febri et symptomatibus medendum, et morbo decrescente tonus lienis et totius corporis est restituendus. Sic Cammerlander [3]). Alexander Trallianus [4]) indicationem in splenitide sic habet: His (historia anamnestica) diligenter examinatis, si inflammatio lienem exercet, primum sanguis detrahi, deinde purgationes adhiberi, deinde medicamenta extrinsecus imponi debent. Primum sane iis utendum, quae alvum subducunt, Graeci vocant ἐπηλάτα, nec non clysteriis. Forestus de lienis phlegmone [5]), quum diathesi phlogistica splenitidem stipatam observaverit, sequentem methodum secutus est: „Statimque jussimus, ut sanguis ex vena jecoraria cubiti sinistri detraheretur. Et mox a venaesectione locum dolentem inunximus oleo rosaceo et chamaemolino, pauco addito aceto.“ Et paulo inferius:

---

3) l. c. §. XVI.

4) * l. c. p. 484.

5) * lib. XX. obs. V. p. 277.

„Verum, cum post venaesectionem etiam ea medicamenta conveniant, quae alvo educenda sunt idonea, lenia tantum eligenda ex ejusdem Alexandri testimonio, praesertim per initia. Tamen processu temporis validiores purgationes exhiberi possunt." Dein decocta solventia auctor praescripsit et cataplasmata emollientia loco affecto applicari jussit. Circumstantias, sub quibus vena secanda est, et ad quas sub ipso sanguinis ex vena fluxu respiciendum est, egregie Alex. Trallianus [c]) hisce verbis determinavit: Quodsi venae sectio omnibus visceribus inflammatis praestantissimum sit remedium, maxime certe in lienis inflammatione adhibenda est: si nihil contra suadeat, nempe aetas, aut vires, aut locus, aut consuetudo, aut aeris constitutio, aut praecedens ciborum cruditas aut magnum ventris profluvium. Haec enim in sola ista causa dilationem suadent. Sin autem aetas, aut vires non prohibeant, venam brachii sinistri interiorem secabis: si ea non appareat, media ferienda est: si ne ipsa quidem in conspectum proveniat, humeraria incidenda est: si nec ipsa quoque conspiciatur, ea, quae minimo digito vicina est, aperiri debet. Etsi vero hinc minus sanguinis evacuetur, tamen quantulacunque inde tentata inanitio, praecipuum lieni ad sanitatem adjumentum est. Cum sanguis fluit, attendendus est, valdene rubeus sit et purus, an lividus. Nam si lividus est, aut aequo rubentior, copiosior auferri; si purus ac sincerus, paucior debet; verum sic extrahendus est, ne vi-

---

[c]) * l. c. p. 485.

talis facultas deficiat. Aetius [7]) et Forestus [8]) huc conferendi sunt.

Paulo modificatam medendi methodum veteres adhibuerunt in splenitide, ut dixerunt, ex sanguine crasso, melancholico, in quo casu secundum Forestum [9]) inflammationes facile duriores fiunt; tunc cum sanguinis evacuationibus cautius esse mercandum, suaserunt.

Veteres hi jam aliam splenitidis speciem adnotarunt, quae potius membranas et involucra lienis occupat, et quae fors splenitis rheumatica nominanda esset. Forestus [10]) de lienis dolore sic habet: Dolor splenis, qui tristis sensatio existit, per membranam ejusdem plerumque et non per carnem spongiosam, contingit. Interea hic dolor quintuplex esse potest, pungens, perforans, extendens, gravans et pulsans. Pulsans magis contingit in inflammatione, ob multitudinem et magnitudinem arteriarum, quae sunt in ipso, et magis ad arterias pertinent hi dolores. Pungens ad membranam; gravans ad substantiam ejusdem ex materia aliqua. Extendens ad vapores flatulentos et ventositatem. Perforans seu mordicans ad ulcerationem et s. p. Ad hanc affectionem plerumque remedia externa, cataplasmata, inunctiones et fomentationes, vino, oleo rosaceo, chamaemelino et aceto compositas commendabant. Eandem medendi methodum uti Forestus adhibuit quoque Sen-

---

7) * Tetrab. III. sem. II. cap. X. p. 565.
8) * l. c. p. 278 et 279.
9) * l. c.
10) * l. c. obs. VII. p. 281 et seq. et plur. l.

nertus in splenitide. Veteres etiam hirudines et cucurbitulas in lienis inflammatione applicuerunt.

§. 13.

Splenitidem comitatur vel diathesis phlogistica, vel gastrica, vel rheumatica, vel diathesis atrabilaria, melancholica. Quaestio imprimis hic est solvenda, quae ex his omnibus pro splenitide vera, sincera, genuina sit statuenda. Notum enim est, inflammationes encephali, inflammationes viscerum in cavo thoracis, et inflammationes viscerum in cavo abdominis sitorum propriam ostendere indolem, quam posteriorum sequitur splenitis. Inflammatio sic dicta occulta, sine febre notabili, decursu lento stipata, in genere (nam nulla regula sine exceptione) viscera in cavo abdominali sita occupat, et hac de causa primo stadio saepius latet; exempla enim sat copiosa in scriptis medicorum occurrunt, ubi gangraena in tubo intestinali et aliis abdominis visceribus crudèliter saevisse visa est, quin tamen morbo durante symptomata vehementia observata fuissent. Hic decursus lentus, haec species levitatis fraudulenta propriam splenitidis indolem constituere videntur, ergo ceu vera, sincera, genuina, simplex splenitis atrabilaria, melancholica erit habenda.

His ergo praemissis, quaeritur, quomodo sit tractanda.

In hac melancholica splenitide sanguinis evacuationes universales raro, hinc inde topicae indicabuntur; tarde enim evolvitur, causae disponentes diu agunt, sanguis lienalis pedetentim fluidam indolem perdit, quod

jam sub melancholiae nomine latet. Sic oriuntur stases, infarctus in liene et organis cum illo connexis, ut in vasis brevibus et systemate venae portarum, accedente causa excitante levi oritur inflammatio, quum sanguis stagnans systema capillare jam intraverat: et inflammationes tali modo nascentes, omni jure occultae audiunt; hinc quoque patet, in hoc casu sanguinis depletiones generosiores non quadrare, et si necesse esset, topicam depletionem generali esse praeferendam. Alia ratio, cur saepius sanguinis evacuationes non requiruntur exinde patet, quia haec splenitis consuetim vomitu cruento annunciatur, ubi sursum et deorsum nonnunquam magna sanguinis copia deperditur, licet deorsum rarius, eo frequentius vero sursum.

Si vero subjecta juvenilia, robusta, splenitide corripiuntur, si febris et topica affectio est vehemens, tunc omnino aut topica aut universalis sanguinis depletio pro adjunctorum diversitate locum habebit, ut sanguinis affluxus ad ventriculum, hinc et haematemesis ceu symptoma molestum et periculosum praecaveatur; sed rarior hic erit casus, quum de splenitidis specie loquor, quae homines atrabiliarios, digestione et assimilatione labefactata laborantes infestat.

Simili modo, ut sanguinis detractiones generales reliquus apparatus antiphlogisticus restringendus est. Nitrum, ut in gastritide, enteritide et hepatitide etiam in hac splenitide locum non habet. Remedia, alvum leniter ducentia, uti manna, tamarindi, cassia, sales medii mitiores, tartarus tartarisatus, sal seignette, cremor tartari, oxymel simplex, et solventia sine stimulo agen-

tia, ut radix graminis, taraxaci, saponariae, et ex iis praeparata extracta hic bene quadrabunt. Therapia, quam celeberrimus Tissot [1]) morbo nigro opposuit, tota splenitidi convenit, ejus morbus niger est nostra splenitis melancholica. Remedia proposita erant potus acidiusculi, aqua et succo recenti aurantiorum constantes, serum lactis; leniter alvum ducentia, tamarindi, cassia, manna, et clysteres emollientes, sed causa morbi illum fugit, immo [2]) sic loquitur: Alii e contra medici, Stahliani imprimis, bene viderunt acres dolores spasticaque symptomata vomitum sanguinis praecedere, falso vero crediderunt tunc demum sanguinem evomi, postquam jam in inflammationem lienis increverat morbus. Tissot ipse gavisus est, se sanationem in morbo nigro operto, alias pro insanabili habito, qui nostra splenitis est, supra memoratis remediis pluries feliciter impetrasse. Etiam sanguinis depletiones Tissot nonnunquam optimo cum successu adhibuit.

Hisce nunc praemissis, fors sequens therapia erit instituenda. Sanguinis depletiones, si non generales, saltem topicae, in primo morbi stadio institutae eo citius morbum suffocabunt, quum inflammationis vehementia pedetentim solummodo increscat, nec animi deliquia, nisi jam notabilis sanguinis copia per vomitum rejecta sit, sanguinis detractionem contraindicabunt. Sitis in splenitide fere implacabilis potus acidiusculos et alia remedia acidiuscula jam sibi exposcit, quum haec sitim

---

1) * epistol. med. pract. plurib. I.

2) * l. c. p. 33.

optime fallunt; quo diutius vero constitutio atrabilaris morbo praecessit, eo intensior erit sitis, eo magis morbo conveniunt remedia acidiuscula. Sanguis in ventriculum effusus maxime sitim augere videtur; nam paulo ante vomitum cruentum, vel eo durante, aut paulo post, sitis est intensissima. (Sanguis vomitu ejectus non est recens, stagnavit in vasis brevibus, est ater, grumosus). Contradictionis culpari possem, quum hic remedia acidiuscula lienis inflammationi opponuntur, cum superius dictum sit, acidum ventriculi, ructus acidos et pyrosim splenitidi praecedere; in hoc casu symptomata recensita, ab exaltata lienis functione derivanda causam praedisponentem constituunt, et quibus symptomatibus alcalina sic dicta, sapones et remedia saponacea opponenda sunt; alia vero est ratio, si inflammatio lienem prehendit, quae illius functionem supprimit, hinc contradictio facile solvitur. Celeberrimus Marcus elixirium acidum Halleri fere pro specifico in splenitide habet, et in omni hucusque observata splenis inflammatione efficax vidit; interim acida vegetabilia (sit venia juveni!) praefero, quae etiam Tissot opere saepius citato, valde commendat, et optimo cum eventu praescripsit. Pulveres aerophori ex magnesia carbonica et acido tartarico constantes omni jure hic locum merentur, et optime quadrabunt.

Oritur nunc vero quaestio, quamdiu usus horum remediorum sit continuandus? In hac quaestione solvenda maxima ex parte sequor celeb. Marcus, quum ego experientia sufficiente adhuc destituor. Terminatio

infelix morborum multorum in eo fundatur, quod usus remediorum indicatorum vel nimis diu protrahatur, vel quod frequentius, nimis cito interrumpatur. Ultimum plerumque in inflammationibus febri non insigni stipatis accidit; debilitas vitalis apparens transitum ad remedia roborantia, excitantia, inflammatione adhuc latente, suadere videtur, quae, nonnisi morbo penitus eradicato, demum locum merentur. Ex hac praematura remediorum mutatione pleraeque recidivae oriuntur, ut in peripneumonia videre est. Febris in hoc casu est fidelissimus dux; febris enim cum morbo increscit, decrescitque; hinc in inflammationibus febre adhuc praesente apparatus antiphlogisticus totus non est seponendus. In splenitide facile invitamur ad remediorum excitantium, roborantium usum; febris enim morbo decrescente interdiu vix ulla, aeger debilis languet, pulsus est debilis et tamen inflammatio adhucdum latet, et usus remediorum antiphlogisticorum (mitiorum et mitissimorum) necessarius; exinde elucet necessitas aegrum sub exacerbatione observandi, aut saltem necessitas inquirendi, quomodo tunc se habuerit. Et si symptomata febrilia exacerbationis tempore non adeo sint vehementia, jam sufficit, si aegri sunt inquieti, si sitis increscit, cutis siccescit, somnus aut penitus deficit aut saltem non reficit. Aegri nondum appetunt, facies adhuc pallide flavet, sub situ erecto vertigo et leipothymiae sensus ingruunt, criticae evacuationes adhuc desiderantur. Priusquam sudor salutaris, urina hypostatica, praecipue vero haemorrhagia narium, aut nonnullae alvi depositiones

atrabilares apparuerint, remedia excitantia in usum non sunt vocanda; nec leve infusum aquosum valerianae ubique conducit, minime vero cortex peruvianus quadrabit: nam alvi obstipatio splenitidem etiam seriori decursu nonnunquam concomitans est evitanda. Celeb. Marcus in hoc stadio valerianam et tincturae opii guttas duas vel tres sat longis intervallis adhibuit, et putat, in dyspepsia acido praedominante, opium omnibus fere remediis palmam praeripere; ubicunque vero splenitidem dyspepsia et pyrosis antecesserunt, credit, eadem reconvalescentia iterum apparere, quod in aegrota nostra non observavi, in quo casu ex illius mente opii tinctura excellit; stadio opportunitatis alia quoque remedia, ut magnesiam, saponacea, amara, et ferrum egregiam praestare opem arbitratur, non vero reconvalescentiae stadio ob debilitatem diuturna inflammatione inductam, in quo sola volatilia locum merentur. Serius ferrum quoque conducet, quod in pluribus chronicis lienis affectionibus opem fert, quum lienis nimiae mollitiei, nimis fluidae sanguinis conditioni, nullum remedium magis sit oppositum, quam ferrum, quod Celsus [3]) jam novit, habet enim: Aqua, in qua candens ferrum subinde tinctum est, praecipue lienem coercet, quod animadversum est in his animalibus, quae apud fabros ferrarios educta exiguos lienes habent. Forestus [4]) etiam habet: — Tanta scilicet in ejusmodi aqua (in qua faber ferrarius saepius candens ferrum exstinquit) contra hoc vitium (lie-

---

3) libr. 4. capit. 9.

4) * lib. XX. obs. I. schol. p. 273.

nem magnum) inest vis atque virtus. Unde et compertum est, animalia, quae apud fabros educantur, perquam exiguos habere lienes. Alio loco [5]). Id tantum annotare hic oportet, limaturam chalybis increscentem lienem minuere, ut et aquam fabrorum. Sic Forestus. Exinde fors virtus fontium mineralium martialium et thermarum ejusdem indolis aestatis tempore, organismo scilicet et humorum massa magis expansis, explicatur. Si ergo splenitide profligata, nimia lienis mollities aut magnitudo remanserit, ferrum erit remedium indicatissimum.

Mercurio in splenitide interne aut externe adhibendo non dicam nunquam, sed certe raro erit locus, licet S. G. Vogel [6]) usum externum utilem esse credit; habita enim ratione ad causas disponentes, dyspepsiam, pyrosim, cardialgiam, facile patet, quid de mercurii saltem interno usu sit sentiendum. Interim celeberrimus Marcus mercurium indicatum putat in splenitide, quae lienis membranas obsidet, aut si splenitis in indurationem tendit; tunc praecipue externus illius usus egregiam praestat opem: si adest dolor fixus et tumor extrorsum perceptibilis, si statim ab initio icteri symptomata ex sympathia lienis et hepatis observantur. Nostra in aegrotante mercurii usus externus tentatus, non solum non levavit, sed etiam exasperavit morbum. Ut in hepatitide distinguendum est an superficies convexa,

---

5) * l. c. p. 275.

6) * l. c. p. 391. §. 10. Thl. 4.

an concava patiatur, sic et quoque in splenitide, ubi mercurius praecipue laudatur, si inflammatio inferiorem in indurationes procliviorem lienis partem teneat. Haec de splenitide a me atrabilaria nominata.

§. 14.

Attentiori perscrutatione quaedam splenitidis modificationes cernuntur, quarum praecipuae sunt sequentes: Splenitis, quae cadit in subjecta, in flore aetatis constituta, robusta, bene nutrita, nullis morbis praegressis exhausta, ubi aestuanti corpori incaute frigus via quacunque admissum est, aut ubi violentiae externae lienem infestantes praecesserunt, ubi febris intensa, valida, dolor fixus, vehemens in hypochondrio sinistro tumente, attactum non perferente, observatur, ubi situs ad utrumque latus impeditur, supinus solummodo conceditur, respiratio est difficilis, cutis sicca, urina parca flammea, alvus clausa, pulsus frequentes, duri, suppressi observantur. Hanc splenitidis speciem veteres viderunt et egregie depinxerunt tractaruntque, praecipue Forestus. In hoc casu plerumque superficies convexa lienis inflammatione obsidetur; hanc splenitidis modificationem splenitidem cum diathesi phlogistica nominarem, in qua etiam methodus antiphlogistica in tota sua extensione adhibenda erit, ut: evacuatio sanguinis generalis, pro rerum circumstantia etiam reiteranda, donec febris vehementia imminuatur; febris vehementia jam mitigata, et topica affectione adhuc vehémenti et intensa, hirudines sunt applicandae. Interne an nitrum? Si in usum vocatur conjungendum saltem erit cum emollientibus,

mucilaginosis, ut sunt radix et flores althaeae, rad. salep, flores malvae et verbasci et plura ejusmodi; alvus clysteribus emollientibus oleosis est aperienda, et aperta tenenda; hypochondrium sinistrum cataplasmate emolliente est fovendum. Sedulo est tractanda, nam facile abit in suppurationem.

Alia modificatio splenitidis fors dicenda esset splenitis gastrica, et fors est idem morbus, quem veterinarii Milzbrand vocant. Frequenter occurrit haec splenitis aestate nimis calida, sanguine magis dissoluto, et omnibus symptomatibus gastricis stipatur, quae incautum facile seducunt ad emetica propinanda, quae vero non solum hic, sed in quacunque splenitide cane pejus et angue sunt fugienda; facile enim inducunt vomitum cruentum, et ob sympathiam ventriculi gastritis facile provocari posset. Universalis sanguinis evacuatio in hoc casu rarius indicabitur, eo magis vero topica per hirudines. Interne remedia acidiuscula hic quoque conveniunt. Celeb. Marcus elixirium acidum Halleri commendat, ego tamen acida vegetabilia praeferenda existimo. Medendi methodus in splenitide atrabilaria superius exposita in primo et secundo morbi stadio et hic conducet; in seriori decursu Marcus infusum valerianae, camphoram, moschum indicata esse putat. Externe inunctiones oleosae conducunt, quas veteres Galenus, Aetius [1]) Alexander Trallianus [2]), ut habet Forestus [3]) adhibuerunt,

---

1) * l. c.

2) * l. c.

3) * l. c. p. 279.

praecipue illis placuit mixtio ex oleo rosaceo et aceto cum diversis aliis similibus oleis, quas inunctiones calidas saepius per diem institui jusserunt; commendarunt praeterea cataplasmata emollientia, diuturniorem vero usum dissuaserunt ne suppuratio inducatur.

Alia denique splenitidis modificatio, splenitis rheumatica assumenda esset. Celeberrimus Stoll [4]) gastritidem et enteritidem et p. 83. pleuritidem rheumaticam habet, cujus posterioris symptomata diagnostica egregie dilucidavit, per analogiam ergo quoque splenitis rheumatica assumi potest, in qua scilicet non solummodo lienis integumenta, sed etiam musculi lieni adjacentes et contigui inflammatione corripiuntur. Huc pertinere videtur historia, quam Swieten [5]) a de Haen sibi communicatam habet, et quae ceu pleuritis fuit tractata. Sanguinis evacuationes pro rerum adjunctis quoque quadrabunt; interne fors morbi initio acetas ammoniae conducet, serius externe vesicantia et fors inunctiones mercuriales utilitate non carebunt.

Quaedam hucusque dictorum ex analogia deducta consideranda sunt, observationibus scilicet adhucdum deficientibus; quum vero therapia splenitidis atrabilaris experientia et ratiocinio suffulciatur, modificationum tractatio facile erit invenienda. In omni splenitide vomitus cruentus omnibus viribus avertendus est, qui, quousque vertigo et leipothymiae sensus persistunt, jure timetur; praecavetur vero optime congrua splenitidis

---

[4]) * Ratio medendi. Tom. I. p. 78.
[5]) * l. c. Tom. III. p. 153.

therapia. Alvus per enemata est sollicitanda, emetica solerter sunt evitanda, situs horizontalis et quies corporis et animi est observanda, quum aegri sub situ erecto leipothymiis, quibus facile haematemesis subsequitur, obnoxii sunt. Veteres jam in splenitide nec nimis calida nec nimis refrigerantia remedia commendabant; ratio ex ventriculi, immediatae remediorum actioni expositi, et cum liene cohaerentis, intimo nexu est facilis explicatu.

HISTORIA MORBI.

N. N. foemina viginti sex annorum, matrimonio juncta, compage corporis firma et temperamento calido donata, tenera jam aetate variolas et scarlatinam feliciter perpessa, incolumem ad pubertatis epocham usque degit vitam. Annum decimum quintum agenti prima sine magno incommodo menstrua comparent, quae semper legitima periodo, justa quantitate et qualitate fluunt; aetatis annum decimum sextum vix adepta nubit, et perfecta quoque ad vigesimum secundum usque fruitur sanitate; hoc matrimonii tempore tres sanas edit proles, ultimum partum solummodo sequitur metrorrhagia insignis, brevi tamen, nullis incommodis, debilitatem si demas, relictis, sedata. Tres ante annos febre intermittente quotidiana vernali laborat, quatuor per hebdomades, quae tandem idoneis remediis debellatur. Anno

elapso marito jocans, corpusque repente et valide extendens, illico dolorem in hypochondrio sinistro acutum, pungentem percipit, quem vero vilipendebat. Hicce dolor nunc obtusus, mox paululum sopitus, mox iterum exasperatus aegram continuo tenet, praeterea anorexia, sapore saepius perverso, quandoque nausea et inordinatis alvi depositionibus laboravit. Licet enarrata symptomata aegram continuo infestarent, tamen nullius medici quaesivit opem. Per sex menses jam fluxus menstruus copiosior et magis nigricantem sanguinem fundens ab aegra animadvertebatur. Die 3tia mensis Maji anno 1813 ad vesperas vergente, subito sine causa manifesta, frigore valido concutiente per duas horas persistente prehenditur, cui calor sat intensus, tribus horis continuans subsequitur, quem sudor largus excepit. Symptomata superius enarrata, uti sapor perversus, anorexia, nausea et dolor in hypochondrio sinistro, qui nunc intensior, fixus, assiduus, sub inspiratione et attactu adaugebatur, continuarunt; hisce superaccesserunt cephalalgia vehemens, sitis intensa, sub inspiratione profunda sensus ardoris in regione epigastrica, incubitus dorsalis solummodo concessus, tumor in lienis regione, alvus liquida et urina profundius tincta, copioso sedimento intense rubro, pulverem crassiorem referente, instructa. Praeterea aegrota vertiginem et sub situ erecto et obambulando leipothymiae sensum experiebatur. Matutino tempore conspicua remissio, vesperis ingruentibus hesterna prorsus exacerbatio subintravit, omnia symptomata graviora reddens; dolor praecipue intensitate increscit, assiduus, fixus, pulsatorius

evadit. Die morbi tertia mane iterum remissio, ad vesperas exacerbatio absque tamen frigore, intensitate et duratione praecedenti similis observabatur. Alvus bis erat deposita, urina supra descripto sedimento praedita. Hac ratione morbus per reliquum tempus perseverat. Heri bis vomitu materia biliosa rejiciebatur. Die morbi octava, qua institutum clinicum intravit, sequens erat status morbi:

11. Maji. / 8. morbi. Caput totum obtuse dolens est vertiginosum, albuginea flava, nec non tota corporis superficies colore dilute flavo tincta, lingua humida, ad apicem purior, radicem versus muco flavo tecta, sapor perversus, amarus, appetitus nullus, sitis valida, respiratio quidpiam citata, sub inspiratione profunda ardoris sensus in epigastrio, in hypochondrio sinistro in lienis regione dolor assiduus, fixus, pulsatorius, cum tumore molem et figuram lienis prae se ferente et attactum respuente, sub inspiratione profundiore adauctus, incubitum in dorsum solum concedens, ab aegra sentiebatur. Ceterum abdomen molle indolens, alvus bis mota liquida, urina nondum missa; calor cutis fere naturalis, cutis transpirans, pulsus parum frequentiores, in carpo sinistro duriusculi, in dextro molliores, in utroque digito prementi resistentes.

Diagnosis. Est splenitis charactere activo et febre continua remittente stipata.

Praescripsi: *Rpe.* Rad. gram. Fructuum tamarind. ana. unc. j. coq. s. q. aq. p. ½ hor. Colat. lib. j. adde Syrup. rubi idaei unc. ß. S. Alle Stunde ½ Becher zu nehmen.

Rpe. Flor. verbasc. dr. ij infund. s. q. aq. fervid. p. ½ hor. Colat. lib. ij adde sachari alb. dr. iij. S. Trank.

Rpe. Furfur. tritic. unc. j. c. s. q. aq. com. p. ½ hor. Colat. lib. j. adde olei lini recenter press. unc. j. S. Auf 2 Klystiere.

Rpe. Farin. semin. lini
— secalin. ana. unc. ij. S. zum Breyumschlag.

Vesperi exacerbatio fuit insignis, calor dolorque adauctus, pulsus frequentior, durior. Nocte inquiete dormivit, et parum sudavit.

$\frac{12}{9}$. Status hesternus; urina hodie sedimentum grave, violacei coloris exhibet. Aegra acidiuscula non cupit; hinc praescriptum est:

Rpe. Rad. gram.
— taraxac. ana. unc. j. c. s. q. aq. com. p. ½ hor. Colat. express. lib. j. adde Mellag. gram. dr. iij. S. Alle Stund ½ Becher. Cetera hesterna.

Ad vesperas exacerbatio hesternae similis, eo tamen discrimine, quod dolori in hypochondrio sinistro nunc magis pulsanti, delassatio et dolor omnium membrorum sese associaverit. Die jam illucescente aegra modicam ex nare dextra experta est haemorrhagiam.

$\frac{13}{10}$. Status ceteroquin idem, sed sitis est mitigata. Remediis heri praescriptis, si nempe aegra feret, inunctionem unguenti hydrargyri addendam esse putavi, ordinando: *Rpe.* Unguent. de alth. unc. j. ung. mercur. dr. j. Camphor. oleo hyosciam. subact. gr. X. M. S. 3mal des Tages eine Haselnuß groß in die leidende Stelle.

einzureiben. Ad vesperas, exacerbatione ingruente dolor ad epigastrium se propagavit, pulsatorius tamen in hypochondrio persistit. Nox inquieta.

$\frac{14}{12}$. Praeter symptomata enarrata hodie tumor subdurus ex regione lienis versus hypochondrium dextrum propagatus, dolore assiduo, fixo, omnem attactum reformidante, et sub inspiratione adaucto, stipatus, observatus est. Calor cutis naturalis, pulsus frequentiores, in carpo sinistro magis duri, contracti, fortes. Unguentum statim seponitur, et loco dolenti hirudines sex applicantur, decoctum tamarindinatum iterum in usum vocatur, cetera manent. Ad vesperas. Aegra post sanguinis evacuationem magnum percepit levamen, respiratio erat liberior, calor solus adauctus, et pulsus frequentiores. Nocte bene dormivit, largeque sudavit.

$\frac{15}{12}$. Capitis dolor multum imminutus, flavedo albugineae immo et cutis totius imminuitur, lingua pura, humida, sapor non perversus. appetitus reverti videtur, sitis nulla; respiratio liberior, profunda inspiratio jam magis concessa. Dolor assiduus et fixus, per vices pulsatorius, per vices obtusus, ejus vehementia mitigata est, et solum regionem lienis tumidam, uti antea, obsidet. Epigastrii tumor et dolor evanuit. Incubitus in latus dextrum jam est concessus, abdomen molle, alvus mota, urina ejusdem qualitatis ut supra, calor naturalis, cutis transpirat, pulsus parum frequentes, hesternis molliores, fortes. Medicamina eadem. Ad vesperas exacerbatio nulla. Aegra bene dormivit.

$\frac{16}{13}$. Caput indolens. Albugineae flavedo maxime imminuta, color cutis totius normali jam accedit; appetitus redit, sitis nulla. Respiratio normalis. Dolor in lienis regione minus tumente residens adhuc assiduus est, ast minime intensus, sub inspiratione profundiori et sub attactu quidpiam adaugetur. In latus sinistrum incubitus nondum concessus. Abdomen molle, alvus bis mota liquida, urina magis tincta, sedimento copioso rubello donata. Calor naturalis, cutis transpirat, pulsus quoad frequentiam normales, liberiores, molles, et fortes. Medicamina eadem; clysmata seponuntur. Ad vesperas exacerbatio nulla. Nocte aegra profuse sudavit.

$\frac{17}{14}$. Caput indolens, albugineae et cutis totius color normalis. Hypochondrium sinistrum minus tumet, dolor jam intermittit, sed sub inspiratione profundiori, contrectatione et motu, vel corporis conversione, adhucdum resuscitatur, incubitus et lateri sinistro jam parumper conceditur. Urina coloratior sedimentum furfuraceum roseum exhibet. Hodie dedi : *Rpe.* Radic. gram. unc. j. herbae saponar. unc. β. c. s. q. aq. p. $\frac{1}{2}$ hor. Colat. lib. j. adde extract. taraxac. liquid. unc. β. M. S. Alle St. $\frac{1}{2}$ Becher zu nehmen.

$\frac{18}{15}$. Dolor in hypochondrio sinistro sub conversione celeriori tantum sentitur, tumor multum imminutus est, incubitus et lateri sinistro jam est concessus. Urina hesternae similis. Cetera normalia. Medicamina hesterna.

$\frac{19}{16}$. Dolor nullus percipitur, nec sub motu, nec sub rudissimo attactu, tumor etiam jam fere evanuit. Urina

adhuc profundius tincta nubeculam ad fundum vasis exhibet. Ceterae functiones normales. Medicamina eadem. Aegrotae carnes molles, vitulinae, pulli fuerunt concessae.

$\frac{20}{17}$. Perfectam valetudinem adepta aegra grato animo institutum clinicum et nosocomium dereliquit, et quum haec scribo, adhuc perfecta gaudet sanitate.

Liceat, aliam adhuc per humanitatem singularem instituti clinici medici pro Chirurgis D. Professoris Bischoff mihi communicatam splenitidis historiam paucis adnectere, et lubentissime illo permittente ac annuente ejus experientia ad confirmandam materiam meam utor, qui duorum annorum curriculo ter splenis inflammationem observasse testatur.

Semel anno 1814 in instituto suo clinico, cum sanitate subsequente, et alio in casu, in quo morbi die quarta in consultationem medicam ad virum 54 annorum sat robustum vocatur.

Moeror peculiaris in hoc viro ceteroquin insolitus cognoscebatur; nec cephalalgia nec stupor aderat. Respiratio erat libera, profunda inspiratio quoque concessa, tussis nulla; abdomen indolens, molle; hypochondrium utrumque liberum, sub attactu rudiori in hypochondrio sinistro nullus quidem dolor manifestus, attamen quaedam anxietas interna aegri attentionem observatoris effugere non potuit. Calor cutis naturali quidpiam major; febris vehementia non adeo excedens, pulsus fortis,

magnus, plenus, normali modice frequentior, non durus, solummodo subdurus; urina profundius rubra, pellucida, etiamsi non flammea. Sub hisce rerum circumstantiis ad characterem febris inflammatorium cum visceris abdominalis nobilis inflammatione conclusit; et licet organon inflammatione correptum distincte determinari non posset, tamen lienem inflammatione obsideri suspicatus est. Et ecce, morbi die 5ta haematemesis larga, per quam cruor ater, grumosus, crassamento sanguinis persimilis evacuatur, superaccedit, et 6ta die morbi subsequitur mors. Valde vero est dolendum ab affinibus nullo modo cadaveris sectionem potuisse impetrari. Tertii casus historia sequitur.

N. N. foemina 37 annorum, parabolana, corporis constitutione robusta et temperamento calido gaudens, per septem annos jam vidua, morbos, infantilem aetatem plerumque infestantes, feliciter primis aetatis annis perpessa est; octavo aetatis anno paralysi brachii et pedis sinistri prehensa, curriculo octo hebdomadum restituitur, decimo tertio aetatis anno prima vice sine incommodis menstrua comparent, quae usque ad annum 15tum rite fluunt, nunc vero per annum silent, denuo redeunt, et hucusque, si tempus et qualitatem respicias, rite, sed quantitate consuetim majori fluunt. Vigesimum aetatis annum agens, viro nubit, quocum decem per annos vivit, quo temporis curriculo tres edit proles, unum patitur partum difficilem, geminos enitens. Vigesimo aetatis anno febre acuta laborat. Trigesimum quintum annum degens, febre intermittente detinetur, et ab empirico curatur, hanc febrem oedema pedum et icterus

sequuntur, a quibus per medicum post spatium viginti hebdomadum liberatur. Tres jam per annos paroxysmis hystericis est obnoxia. Plures alios adhuc perpessa est morbos, quorum vero jam non recordatur.

Die 3tia Januarii anni 1815 sine causa nota prehenditur frigore, subsequente calore et siti, ad quam fallendam multum aquae frigidae hausit. Die 4ta Januarii dolorem pungentem ad sternum et abdomen percipit. Die 5ta mensis Januarii, qua die aegra in institutum clinicum medicum pro Chirurgis suscepta est, sequens erat status morbi: Dolores capitis frontales, lingua humida, muco albo tecta, appetitus prostratus, sitis adaucta, sapor amarus, sub inspiratione profunda dolor pungens in hypochondrio sinistro lienis regionem occupans, et ad scapulam sinistram adscendens. Decubitus in latus sinistrum denegatus, abdomen tensum, sub rudiori attactu faciei musculi convelluntur, et dolor pungens in hypochondrio sinistro exasperatur, alvus per plures dies clausa, urina nondum missa, cutis calor modice adauctus, cutis sicca, pulsus aequales, frequentes, parvi, duriusculi et suppressi. Situs corporis erectus impossibilis ob statim ingruentem vertiginem et leipothymiam.

Diagnosis. Febris inflammatoria cum affectione splenis seu splenitis. Praescripta sunt: *Rpe.* Rad. alth. unc. ß. c. in s. q. aq. p. ¼ hor. sub fin. coct. adde: Mannae electae dr. vj. Colat. unc. viij. S. Alle 2 Stunden 2 Eßlöffel zu nehmen.

Rpe. Infus. flor. verbasc. pro potu. Enema oleosum. Cataplasma emolliens ad locum affectum.

Vesperi. Caput totum dolet, sensus pressionis in utraque orbita. Cetera symptomata matutina, topica affectio vero vehementior, hinc inde tussis cum sputo mucoso, alvus ob enema deposita. Cetera remedia matutina; ob topicam affectionem graviorem hirudines octo magnae loco dolenti applicantur, quibus amotis vulnuscula inflicta magnam adhucdum sanguinis fundunt quantitatem.

$\frac{\text{6. mensis.}}{\text{4. morbi.}}$ Somnus inquietus, hirudinibus applicatis topica affectio paulum mitigata. Caput totum dolet, susurrus aurium, topica affectio mitior, alvus deposita, urina profundius tincta cum nubecula, calor cutis fere naturalis, cutis transpirat, pulsus aequales, frequentes, parvi et suppressi.

Mixturae hesternae uncia roob sambuci addita, cetera manent.

7. Aegra melius dormivit, et sudavit simul. Capitis dolor frontalis, pulsus hodie minus frequentes, cetera symptomata uti heri. Praescriptum est: *Rpe.* Rad. alth. unc. ß. c. s. q. aq. p. ¼ hor. Colat. unc. viij adde liquor. Minder. dispens. veter. Roob sambuc. ana. unc. ß. M. S. Alle 2 Stunden 2 Löffel voll zu nehmen.

Vesperi. Exacerbatio magna, dolor oppressivus ad sternum, abdomen tensum, sub levi attactu dolet, praecipue in hypochondrio sinistro, sub rudiori attactu musculi faciei convelluntur. Alvus ab hesterna die clausa, urina turbida, sedimento mucoso instructa. Cutis sicca, pulsus frequentes, parvi, suppressi et durusculi; hinc ob magnam systematis vasculosi affectionem et ob magnam simul lie-

nis inflammationem, venaesectio ad uncias octo instituitur. Praescribitur:

Rpe. Decoct. alth. unc. viij. adde nitri depurat. dr. ij. oxymel. simp. unc. β. M. D. S. Alle 2 Stunden 2 Löffel voll. Cataplasma emolliens, clysma emolliens.

$\frac{8}{6}$. Venaesectionem notabile topicae affectionis lenimen subsequutum est, sanguis e vena eductus crustam inflammatoriam crassam exhibet. Somnus insomniis turbatus. Capitis dolores frontales, sitis adaucta, appetitus nullus, topica affectio mitior, alvus per enema soluta, urina profundius tincta cum sedimento coloris rosacei. Cetera symptomata hesterna. In mixtura hesterna nitrum ad drachm. j. diminuebatur.

Vesperi. Cetera symptomata matutina, sed topica lienis affectio paulum exasperata, hinc medicamentis matutinis sequens unguentum additur.

Rpe. Unguent. alth.
— hydrargyri ana. dr. ij. M. S. Zum Einreiben in die leidende Stelle.

$\frac{9}{7}$. Usque ad diem $\frac{11}{9}$. idem fere status morbi.

Vesperi. Alvus quinquies deposita.

$\frac{12}{10}$. Alvus iterum ter deposita, fluida. Praescriptum est: *Rpe.* Rad. caryophyllat. dr. iij. fiat infus. fervid. Colat. unc. viij. adde extract. colombae. dr. β. Tinct. cortic. aurant. dr. j. M. S. Alle 2 Stunden 2 Löffel voll.

$\frac{13}{11}$. Nocte aegra dormivit et large sudavit, topica affectio multum mitigata, cetera symptomata uti praecedentium dierum.

Vesperi in urina sedimentum lateritium. Medicamina hesterna.

Per plures dies paucae morbi mutationes, nocte aegra semper sudavit, urina sedimento mucoso erat instructa quotidie.

$\frac{17}{15}$. Somnus tranquillus, respiratio normalis, abdomen molle, indolens, sub attactu rudissimo dolor nullus in liene ab aegra sentitur, alvus bis mota, urina straminea cum nubecula, pulsus aequales, modice frequentes, sed adynamici et parvi. Praescriptum est:

Rpe. Rad. valerian,

— calam. aromat. ana. dr. jj. f. infus. fervid. Colat. unc. viij. adde liquor. anod. m. Hoffm. scrup. j. Mellagin. gramin. dr. ij. M. S. Alle 2 Stunden 2 Eßlöffel voll.

$\frac{18}{16}$. Appetitus redire videtur, sapor non perversus, sitis nulla, alvus bis deposita, urina magna copia colorem sulfuris aemulans evacuatur, pulsus aequales, non frequentes, parvi et debiles, ceterae functiones normales. Medicamina eadem.

$\frac{19}{17}$. Symptomata hesterna; alvus non deposita. Praescribitur:

Rpe. Rad. caryophyllat. dr. iij.

— rhei scrupul. ij. f. infus. fervid. Colat. unc. vj. adde spiritus nitri dulcis scrup. ij. M. S. Alle 2 Stunden 2 Eßlöffel voll.

$\frac{20}{18}$. Omnes functiones rite peraguntur, et aegra die 23tia Januarii sana dimittitur. Nunc elapsis 5 mensibus, integerrima adhuc gaudet sanitate.

THESES PROPUGNANDAE.

I.

Vivere et organicum esse idem est.

II.

Organon visus et auditus certant de praerogativa, et licet recentiores auditui palmam tribuant, potius tamen oculo esse concedendam arbitror.

III.

Medicaminum nomina antiquitus officinis usitata, stricte servanda sunt.

IV.

Digitalis purpurea in morbis inflammatoriis nunquam venaesectionis vices agere potest.

V.

Methodus administrandi remedia indicata superficiei cutaneae externae humoris animalis ope, omnem meretur attentionem, et utilitate non caret.

VI.

Cortex peruvianus in febribus intermittentibus, putridis et lentis, non autem in nervosis indicationi respondet.

VII.

Lactis in mammis secretio vera est, licet non unica febris lacteae crisis.

VIII.

Empiria sola, theoria rationali carens, non sufficit ad artem medicam pro salute generis humani faciendam.

IX.

Existit gonorrhoea et fluor albus insons.

X.

Brillen sind Krücken, und Krücken braucht nur der Lahme.

XI.

Das Chlorin (oxydirte Salzsäure) ist mit allem Rechte als ein einfacher Stoff anzusehen.

XII.

Die Lehre der chemischen Anziehungen läßt sich füglich auf den elektrischen Gegensatz zurückführen.

XIII.

Bei dem gegenwärtigen Standpunkte der Chemie lassen sich keine bestimmte Gränzen zwischen Säuren und Basen angeben.

XIV.

Die Enucleation ist keineswegs der Amputation unbedingt vorzuziehen; im Gegentheil gewährt die Amputation Vortheile, welche die Enucleation nie gewähren kann.

XV.

Chirurgische Operationen sollen so viel als möglich immer im Beiseyn mehrerer Kunstverständiger, und im Beiseyn der Schüler verrichtet werden.

XVI.

Die sogenannte Wendung des Kindes im Mutterleibe, welche nach der Hälfte der Schwangerschaft geschehen soll, kann nicht wohl zugegeben werden.

XVII.

Der Medizin kommt eben derselbe Grad von Gewißheit und innerer Wahrheit wie allen übrigen Erfahrungswissenschaften zu. Ihre Ausübung ist für die gesammte Menschheit von hohem und unbestreitbarem Werthe.